

HISTORIAE LOVANIENSIIUM

LIBER SEXTUS.

DE SACRIS AEDIFICIIS.

DE SACRIS AEDIFICIIS¹.

CAPUT I.

DE ECCLESIA DIVI PETRI².

.....invalescente morbo corpus Christi ab episcopo petit, quod illi negat quia crudele cognati parricidium in confessione subticuit. Respondet Erkenbaldus se id absque rancore et ira, ex Dei timore et zelo justitiae, fecisse propter exemplum. Vix Pontifex domum egressus erat et aegrotus eum revocans, dixit: « Vide si in pyxide habeatis corpus Christi. Ecce, quem » mihi negastis, ipse se mihi non negavit. » Apparuitque hostia in ore ejus. Et impletum est quod per Sapientem (*Sap. I.*) dictum est: « Diligite justitiam qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum, quoniam invenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in illum³. »

¹ Desunt hic in autographo Molani folia sex seu paginae duodecim in folio, nimirum folia 229, 250, 251, 252, 253 et 254 forte non omnia plena, ut auctor ad colligendas suas annotationes facere solebat, et pro addendis spatium haberet. In foliis illis, quae desiderantur, scriptum erat initium capituli primi libri VI, cujus titulus in indice notatur *de sacris aedificiis*. Supra quoque p. 5 notavit Molanus se sexto libro descripturum memorabilia sacrorum aedificiorum.

² Fragmentum capituli I dumtaxat sequitur folio 235. Quae hoc loco scribit Molanus, forte ad pieturae cujusdam elucidationem, desumpta sunt ex Caesario Heisterbacensi, qui in *Historia rerum memorabilium et illustrium miraculorum* lib. IX,

cap. 58 narrat Erkenbaldum de Burban, virum nobilem et potentem, tantumque justitiae amatorem, ut nullam in judiciis personam respiceret, quum graviter infirmaretur, sororis suae filium, feminam vi opprimentem, cultello percussisse; invalescendo autem morbo, Erkenbaldo eucharistiam fuisse denegatam, mox vero per miraculum hostiam in decumbentis ore repertam esse.

³ Addit Caesarius loco cit. « Episcopus vero pavens tantum miraculum ubique divulgavit, per quem etiam quibusdam abbatibus ordinis nostri innotuit, qui anno praeterito illud in capitulo generali recitaverunt, cunctis Dominum gloriantibus, qui facit mirabilia magna solus. »

Imago cardinalis in vitro.

Est imago beati Petri de Luxemburgo cardinalis, procumbentis ante crucifixum ¹.

De quo Philippus, Brabantiae dux, scripsit ad patres Basileenses, rogans ut canonizent et elevent dignae per saecula memoriae dominum Petrum de Luxemburgo, cardinalem, suum consanguineum, quem ex meritis gloriosis et miraculis veluti inauditis, quibus quotidie coruscat, aliorum Christi confessorum collegio constat aggregari. Hoc etenim variis in conciliis retroactis temporibus fuisse incoeptum, sed quibus mediis vel modis fuerit interruptum vel imperfectum, ignorare se asserit. *Tomo IV Conciliorum.*

Altare sanctae Trinitatis.

Rolandus Van Winde, caligarius, in vita sua multum amavit et exornavit altare sanctae Trinitatis, cujus confraternitatem sollicitavit apud capitulum anno 1563, et in eodem altari instituit quotidianum sacrum et feriis secundis solemne sacrum ac diversas eleemosynas. Obiit anno 1580.

Altare sanctae Crucis.

Est altare pastoris. Errant autem, qui putant pastorem aliquando altare suae parochiae habuisse sub campanis apud fontem baptismalem. Ægidius enim Bailloeil, sacrae theologiae professor, quando elegit sepeliri apud altare Sancti Spiritus sub campanis suae praebendae, elegit ante altare sanctae Crucis sepeliri, quod in fundatione praebendae dicitur Sancti Spiritus sub campanis. Similiter hoc altare vocatur in testamento domicellae Haecgarens. Et est sub campanis in centro ecclesiae.

Missa feriis sextis.

Capitulum anno 1413 obligavit se honorabili et discreto viro Wilhelmo Rode, de Erpe, oppidano et inhabitatori oppidi Lovaniensis, ratione pecu-

¹ Vide Molani *Natales SS. Belgii*, ad diem *gicam* ad cit. diem.
2 julii, fol. 138, et nostram *Hagiographiam bel-*

niarum et honorum ab eo perceptorum, quod ob magnum amorem, quem erga sanctam Crucem gerit, perpetuo facient solemnem missam feriis sextis ante crucem, quae vocatur curva Crux, cum diacono, subdiacono et organis. *Litterae.*

Nicolaus Coppin, decanus, fundavit, ut missa crucis post oblationem usque ad finem cantaretur ¹.

Curva Crux.

Cur ista crux sit curva, hoc est cur una manus a cruce absit, saepe quaesivi. Et aliqui narraverunt mihi id accidisse miraculo, quando quidam ferventer ibi Christum orabat, cui Christus benevolentiam suam ostendisset, alteram manum a cruce ad eum retrahens. Sed est valde obscura narratio, cujus fundamentum pastores ignorant. Et Bartolus custos, qui memorabilia ecclesiae libenter referebat, istud miraculum ignorabat. Quare probabilius est hanc crucem ab initio talem fuisse.

Visitatio ad septem Cruces.

Multi pii aliquando septem Cruces Lovanii visitant, videlicet hanc in S. Petro, in sacello Clericorum, in sacello Crucis, in sacello Calvariae, ad Augustinienses, ad Albas Dominas et in sacello S. Catharinae.

Circumgestatio Crucis.

Mea memoria piae quaedam mulieres, in supplicationibus tempore angustiarum, petiverunt hanc crucifixi Christi imaginem² circumferri a duobus capellanis in habitu diaconali, praelatis duabus taedis. Quod hactenus continuatur.

Antependium Ludovici Thenensis.

Fuit devotarius quidem Thenensis, nomine Ludovicus, qui Leodii et Lovanii morabatur. Leodii excipiebatur a Theodorico Hezio³, ubi obiit; Lovanii a Petro Van den Mael, canonico.

¹ Vide supra p. 156.

³ Vide supra p. 75.

² Nimirum *Curvae crucis.*

Hunc plebeii vocabant *deum Thenensem*, erat enim Christo simillimus vultu.

Solebat autem ante hoc sanctae Crucis altare humillime cum aliquot libellis procumbere, meditari et orare. Ideoque dominus Petrus in ejus memoriam contexi fecit antependium; in quo ejus figura ad vivum est expressa in vultu, habitu et meditationibus.

Altare S. Petri.

In hoc altare in septennali statione exhibentur per octo dies reliquiae per ecclesiasten Ordinis Praedicatorum.

Antiquum S. Petri altare solet esse, ubi nunc est altare S. Catharinae et Outcommenae, ante quod erat tumba Godefridi.

Imago antiqui Petri.

Anno 1438 renovatur antiquus Petrus, apud coemeterium. *Diarium.*

Sepulturae aliquot.

Beatae et venerabilis Margaretulae cineres et ossa quiescunt in domuncula ecclesiae contigua, in qua inhumata. Quem locum sacrum esse dubitandum non est, etsi id quidam ignorent, quia totum forum pertinuit ad coemeterium, et haec domuncula ecclesiae adjacens nunquam fuit profana.

Tumba in medio chori est Henrici I, ducis Brabantiae. Apud quem etiam sepulti sunt ¹.....

Tumba retro altare S. Mariae est tumba Godefridi secundi et tertii, eo in reaedificatione templi translata ².

¹ Vacat locus in codice. Vide commentarium nostrum: *Recherches sur les sépultures des ducs de Brabant à Louvain*, p. 2 et seqq.

² Hic additum alia manu: *Qui tamen propius*

inspiciet, inveniet esse indutos habitu muliebri. Quare putarim monumenta esse utriusque uxoris Henrici primi. Vide cit. commentarium p. 14.

Coemeterium.

Coemeterium ecclesiae S. Petri solet esse magnum. Unde et forum intra ecclesiam et domum civicam vulgo dicitur coemeterium, et ad ejus distinctionem verum coemeterium vocatur coemeterium mortuorum. Est autem prior locus profanatus, praevis literis apostolicis et dando 500 florenos pro ulteriori aedificatione chori. Actum anno 1427, 8 maii. *Liber B. folio 328.*

CAPUT II.

DE ECCLESIA SANCTAE GERTRUDIS.

(*De hoc argumento in suo codice nihil praeter titulum scripsit auctor. Vide quae leguntur supra p. 222 et sqq.*)

CAPUT III.

DE ECCLESIA SANCTI JACOBI¹.*Conflagratio.*

Anno 1550, conflagravit ecclesia S. Jacobi, secunda januarii. *Annales urbis.* Confraternitas nova Fratrum S. Jacobi, qui fuerunt Compostellae, instituitur anno 1481. *Liber A. folio 184.*

De confraternitate S. Huberti.

Confraternitas et capella S. Huberti, magni confessoris et marescali, anno 1483 cum consensu civitatis noviter erecta est ad S. Jacobum per parochianos ecclesiae, confirmata per Joannem de Horne, episcopum Leodiensem, et a magistratu in omnibus punctis et constitutionibus admissa. *Libro B. folio 207.*

¹ Cfr. supra p. 151 et sqq.

Habet hoc altare antiquam capellaniam, dotatam super monasterium in Banco sex modiis siliginis annue juxta literas scabinorum de Heverlis, datas anno 1365. In quibus legitur: « Franco de Outheverlis, oppidanus Lovaniensis, supportavit, cum debita effestuatione, octo bunnaria et unum jornale terrae arabilis, paulo plus vel minus, sita apud Bancum leprosum, in qua quidem terra magistratus¹ de Banco suam retinet haereditariam culturam. Ipsoque Francone abinde exposito, impositus est jure haereditario Arnoldus Ratinam, oppidanus Lovaniensis, sub sex modiis siliginis annuae trecensae, mensurae Lovaniensis, boni et pagabilis, singulis annis rectori altaris S. Huberti in ecclesia S. Jacobi, supra Biest in Lovanio, in festo beati Andreae apostoli persolvendis, et in Lovanio delibrandis, custibus dicti Arnoldi. »

Campana horologii.

Anno 1478 suspenditur extra turrim S. Jacobi. *Diarium.*

Referunt hoc quidam intra memorabilia, quod campana pendeat extra turrim.

CAPUT IV.

DE ECCLESIA SANCTI MICHAELIS².

Inchoatio.

Anno 1161 murus circa Lovanium incoeptus est. *Diarium et Archiva.*

Anno 1165 incoepa est ecclesia Sancti Michaëlis supra portam. *Eadem.*
Sunt proinde fabulae, quod in ea ecclesia pagani Vestam coluerint.

Ruina.

Anno 1225 templum S. Michaëlis cecidit in festo beati Gregorii. *Codex Parchensis, aliaque Diaria.*

¹ Forte legendum *monasterium*, nisi intelligendus sit *magistratus Heverleensis*, ad cujus pagi

dominium monasterium de Banco spectat.

² Cfr. supra p. 161.

CAPUT V.

DE ECCLESIA S. QUINTINI ¹.*Sepulturae Sexagiorum.*

In medio chori est sepulcrum Sexagiorum, tectum marmore ophino, quod per mare Mediterraneum, Fretum Herculeum et Oceanum huc deferri curavit Joannes Sexagius, magnus ecclesiae divi Quintini benefactor.

Retulit mihi D. David Sexagius, vicarius et sigillifer, ecclesiae nostrae canonicus, vecturam ejus, sed integri, Antverpianam usque constitisse ducatos octuaginta; esse Antverpiae alterum lapidem ophinum in ecclesia S. Mariae, sed fractum. Quem fortassis sectarii inde, eversa religione, abstulerunt.

CAPUT VI.

DE ECCLESIA PRAEDICATORUM ².

Magnifice constructa est ab Henrico III, duce Lotharingiae et Brabantiae, et Aleide ejus conthorali circa annum 1256; qui in eadem sepulti sunt.

Antea videntur Praedicatorum contenti fuisse eo sacello, quod vulgo *Ducis* dicitur.

Manus sancti Theodolphi ³.

Conservatur in altare beatae Mariae, ubi in solemnitatibus exhibetur.

« Vidimus Treviris corpus S. Theodolphi, quod annis ferme sexcentis integraliter manserat incorruptum. Cujus manum dexteram, de permissione civium abscidi. » Thomas de Cantiprato, supprior Lovaniensis. *Lib. II Apum, cap. 53.*

¹ Cfr. supra p. 161.

² Cfr. supra p. 256 et sqq.

³ Vide nostram *Hagiographiam Belgicam*, ad diem 2 maii, et nota hunc Theodulphum, presbyterum et confessorem Trevirensem, apud Fra-

tres Praedicatorum monasterii Trevirensis in honore habitum, omnino diversum esse a Theodulpho, episcopo et abbate Lobiensi, cujus memoria celebratur die 25 junii.

Ferebatur cum, adhuc puerum, jussu avunculi imperatoris, filiae regis Bohemiae desponsatum fuisse, sed adolescentem eam ob amorem virginitatis recusasse, ideoque de patria expulsum, Treveri monachalem habitum suscepisse et se in arctissimo specu reclusisse. Quem secutus creditur frater ejus Theodoricus, in eodem loco beatam vitam ducens. Corpus decreto consilio in ecclesia Fratrum Praedicatorum digna veneratione locatum est. *Ex Thoma, ibidem.*

De confraternitate S. Mariae.

Anno 1344 inchoata est Lovanii Fraternitas beatae Mariae apud Praedicatores. *Diarium.*

De confraternitate Sanctissimae Trinitatis.

« Anno 1474, die sexta februarii, nos, 1^o Ægidius Van Balck, presbyter, 2^o Theodoricus de Viridi Valle, in decretis, 3^o Joannes de Turnhout, in decretis, 4^o Nicolaus Radulphi, de Amsterdammis, in legibus, 5^o Antonius Peck, de Bergis supra Zomam, in decretis licentiati, 6^o Joannes de Heusden, 7^o Gabriel Hans, 8^o M. Theodoricus de Bruhezen, 9^o Joannes Witten, 10^o M. Walterus de Palude, 11^o Gerardus Duys, 12^o Godefridus Duystere, et 13^o Jordanus Deyl, ad laudem et honorem sanctae et individuae Trinitatis atque ob nostrorum et utriusque sexus fidelium salutem, quamdam humilem Fraternitatem sub certis statutis ereximus in ecclesia conventuali Praedicatorum, ad altare sanctae Trinitatis, per Joannem filium Petri Coelbaert de Heusden ibidem erectum et fundatum. »

Hujus Fraternitatis sunt duo genera confratrum. Primum sunt tantum tredecim confraternitatis rectores, qui soli sub statutis comprehenduntur. Reliqui describuntur quoque in libro confraternitatis ordine alphabetico, sed sub numero fratrum communium.

Tredecim assumpti sunt fratres ad honorem Christi et duodecim Apostolorum. Et inter eos unum sacerdotem capiunt ad honorem Christi, summi sacerdotis.

Et ex tredecim duo sunt praepositi qui communibus suffragiis eliguntur, ut prae caeteris curam habeant confraternitatis et omnium ad eam

spectantium. Et primo anno, per undecim fratres unanimiter, nemine discrepante, electi fuerunt in praepositos Joannes de Heusden et Gabriel Hans.

Hic Joannes de Heusden, procurator causarum, obiit anno 1488, die ultima junii. Qui quum pluribus annis in vita sua, qualibet feria secunda, missam sanctae Trinitatis cum diacono et subdiacono, cantu et organis celebrari fecisset, eandem per testamentum perpetuo fundavit, legans ad eum usum quidecim rhenenses haereditarie.

Porro ad instantiam Gabrielis Hans, qui obiit Romipeta, et Catharinae de Rotselaer, conjugum, expedit Salvius de Casselta, Panormitanus, generalis magister Ordinis Praedicatorum, literas in quibus fratres hujus confraternitatis participes reddit omnium meritorum totius Ordinis. *Romae in generali capitulo, anno 1481.*

Ad eorundem et Joannis de Heusden instantiam, cardinales aliquot huic confraternitati centum dierum indulgentias concesserunt in solemnioribus aliquot festis, prout in confraternitatis kalendario notatur.

Denique Romanus Pontifex non modo eandem comprobavit, sed et speciale dedit indultum tredecim administratoribus eligendi confessarium idoneum cum potestate absolvendi, etiam de reservatis, semel in vita et semel in articulo mortis, et vota emissa, quibusdam exceptis, commutandi. Dedit quoque per octavam Pentecostes, in die Trinitatis vel die sequenti, visitantibus sanctae Trinitatis altare cum sepulcro Domini adjuncto et omnibus confraternitati adjutrices manus porrigentibus, indulgentias quinque annorum et totidem quadragenarum.

De quibus omnibus exstant chartae et literae authenticae in libro confratrum praedictorum, quem Melchior a Ryckenroy, presbyter, sacrae theologiae licentiatus ac pro tempore praepositus, anno 1569 renovavit.

De fenestris.

Fenestras antiquas in choro asserunt Praedicatores positas esse in prima ecclesiae constructione, sibi prohibutum esse et a Majestate et a magistratu ne pro eis novas fenestras poni permittant, ne antiquitatis opus obscuretur.

CAPUT VII.

DE ECCLESIA AUGUSTINIENSIIUM ¹.*Consecratio ecclesiae.*

Altare et coemeterium apud Fratres Eremitas Ordinis S. Augustini in Lovanio consecravimus anno 1270. *F. Petrus, Orthoniensis episcopus.*

Memoria miraculosi Sacramenti.

Ibidem claret memoria miraculosi Sacramenti, cujus historia a nobis describenda est ex antiqua ejusdem monasterii membrana.

Anno 1374 nobilis et pia quaedam matrona Middelburgi famulum suum Joannem, partim muneribus, partim minis coëgit in quadragesima ad sumpcionem corporis Christi. Quum illud sumeret, vertebatur manifesto miraculo in speciem visibilem carnis et sanguinis, et tres guttae sanguinis distillabant in mappam communicantibus suppositam, cujus facti plurimi testes fuerunt.

Hic famulus postea Coloniam, vitam suam emendaturus, abiit, ibique obiit. Et quoad vixit hoc miraculosum Sacramentum penes se in summa veneratione habuit.

Quum autem Coloniae miraculis clareret, Joannes de Gesto, lector, obtinuit ejus lintei portionem cum carne et sanguine sibi donari.

Erat enim ipse conventus Coloniensis, ut asserunt, prior et archiepiscopi Coloniensis confessarius. Quare facile id obtinuit, et conventui suo Lovanio transmisit.

Mox autem, opera hujus Joannis de Jacia, crux argentea, imo et mons argenteus, ex multorum collatione, ad honorem miraculosi Sacramenti fabricantur. Crucem fieri procurasse Joannem de Gesto, lectorem, ipsa inscriptio loquitur.

Porro beneficio hujus Sacramenti, recenti memoria, pueri aliquot sub-

¹ Vide supra p. 269 et sqq.

mersi revixerunt, mulieres per multos dies in partu laborantes, adportato venerabili Sacramento, mox pepererunt; incendia extincta sunt; nonnulli e faucibus mortis erepti sunt. De quibus exempla quaedam conscripta conservantur, alia vero per negligentiam non sunt conscripta.

Frater Augustinus de Roma, prior generalis Ordinis, singulis de fraternitate pretiosissimi corporis et sanguinis Christi in conventu Lovaniensi dedit omnium missarum, orationum, jejuniorum, praedicationum, abstinentiarum, vigiliarum, laborum, caeterorumque bonorum operum, quae per fratres Ordinis in universo orbe fiunt, communicationem. *Lovaniï, anno 1429, die 8 maii.*

Eugenius IV contritis et confessis ecclesiam visitantibus, et manus adjutrices porrigentibus, in dominica die post festum corporis Christi dat trium annorum et trium quadragenarum indulgentiam. Item audientibus ibidem laudes venerabilis sacramenti dominicis diebus, aut sacrum venerabilis sacramenti feriis quintis, relaxat singulis vicibus quadraginta dies. *Romae anno 1431, XVIII kal. sept.* -

Julianus, diaconus Sancti Angeli, legatus apostolicus, concessit libertatem faciendi processionem per parochiam S. Petri cum venerabili Sacramento miraculoso, caeterisque reliquiis, dummodo accedat expressa licentia episcopi Leodiensis. *Basileae, anno 1433.*

Ea per Joannem episcopum accessit, dummodo venerabile corpus Christi simul more consueto conferatur. *Anno 1435.*

Nicolaus, cardinalis sanctae Crucis, legatus dat centum dierum indulgentias contritis et confessis visitantibus ecclesiam Augustiniensium, manus adjutrices porrigentibus in die dominica post festum corporis Christi, quando ad ipsius sacramenti decus et laudem inibi processio celebratur. *Lovaniï, anno 1435.*

Haec processio a paucis annis postposita est in sequentem dominicam post octavas, quia in priore dominica concurrebant processiones ad Gertrudenses et Beghinas. Nemo autem imaginetur per hanc translationem indulgentias quasdam deperdi.

Confraternitas S. Joannis evangelistae.

(*Vacat fol. 243 in codice, sed ad imam oram Molanus adscripsit: Vitrum sacelli clericorum anno 1411*).

CAPUT VIII.

DE CAPELLA SANCTI JOANNIS.

Fundatio.

Consecrata est anno 1457, cum capella S. Eligii et ecclesia sanctimonialium Mediae plateae ¹.

Fraternitas Transfigurationis Domini.

Joannes de Thenis, alias Malcote, Lovaniensis, capellanus S. Petri, anno 1532 in die Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi, cum aliis aliquot presbyteris inchoavit, ad honorem Christi et ejus apostolorum, fraternitatem presbyterorum tredecim.

Qui inter alia statuta ordinarunt singulis mensibus decantari missam, ad impetrandam Spiritus Sancti gratiam, et ut pro cujuslibet morientis confratris anima quilibet superstes legat quinquies missam passionis Domini nostri Jesu Christi.

D. Lambertus Geens, commendator in Hespen. Henricus Geens, commendator in Binchem. Adrianus Geens, commendator in Geldria ².

« Tredecim homines de Berthem, occasione tredecim mansorum a teloneo nostro Lovaniensi liberi, in festo beati Joannis Baptistae nobis debent de quolibet manso, ad reficiendas seras castri nostri Lovaniensis, sex denarios Lovanienses. » Henricus, dux Lotharingiae, anno 1225. *In libro B. folio 78.*

¹ Cfr. supra p. 558.

scripta sunt ab auctore.

² Horum nomina ad imam oram folii 244 ad-

HISTORIAE LOVANIENSIIUM

LIBER SEPTIMUS.

DE MAGISTRATU.

DE MAGISTRATU.

CAPUT I.

ORDO MAGISTRATUS IN PROCESSIONIBUS.

Quandocumque capitulum S. Petri indicit ad orandum solemnem processionem, vocatur ad eam magistratus, qui ordine sequenti comparet. Primum octo custodes portarum praeferunt taedas civitatis ante venerabile Sacramentum. Deinde, praeentibus famulis civitatis, quaterni sequuntur consul, praetor, receptor regius et sub-consul. Deinceps vero bini succedunt septem scabini, domini de consilio, pensionarius, secretarii sex, receptores oppidi quatuor, clerici registri, decani et eorum secretarius.

CAPUT II.

DE CONSULE.

Consul in tertio membro statuum Brabantiae primum locum obtinet.

Nullus in consulem eligitur, nisi sit de antiquis familiis, sive originibus nationibus oppidi Lovaniensis, aut eisdem per parentum conjugium incorporatus.

Est de familia S. Petri ¹.

Tempore consulatus praeest familiae et iudicio familiae S. Petri.

Defunctus consulatu, in familia S. Petri et in ejus iudicatura praecedit

¹ Cfr. supra p. 465 et sqq.

reliquos de eadem familia quantumvis sint annosiores, qui nunquam fuerunt consules.

Vocari solet magister communitatis, sed ab anno 1427 dictus est burgi aut burgensium magister. *Liber magistratus.*

Habet in deliberando duplex suffragium.

Eligitur postridie S. Joannis Baptistae a decem consiliariis plebeis unus ex undecim consiliariis nobilibus.

CAPUT III.

DE PRAETORE.

Praetor vocatur teutonice *Major*, quomodo in regno Franciae erant Majores palatii.

Vidi ad eum literas Frederici imperatoris, latine scriptas anno 1480, quarum inscriptio est: Nobili nostro et Imperii sacri fideli dilecto Majori Lovaniensi.

Latine, voce tamen parum in ea significatione latina, per multa saecula dictus est *Villicus*, quasi villae praefectus. Galli enim consueverunt oppida villas vocare.

Habet locum-tenentem, Armigerum, ex familiis. *Liber consuetudinum.*

Qui tamen nunc est locum-tenens et ejus antecessor non sunt ex familiis assumptis, fortassis quia nemo ex nobilitate oppidi locum-tenens esse volebat. Sed ante eos subvillici fuerunt, ex collegio patriciorum, Joannes Van der Tommen, Ægidius Van der Borgh et Philippus Pinnock.

Habet praeterea unum clericum, unum virgarium et quinque ministros, teutonice *vorsters*, qui in actis Universitatis vocantur clientes et forestarii.

Est primus inter sex principales officarios Brabantiae, qui sunt major Lovaniensis, ammanus Bruxellensis, scultetus Antverpiensis (qui etiam est marchio Reïensis), scultetus Buscoducensis, major Thenensis et ballivus Gallo-Brabantiae. *In ordinationibus criminalibus Maximiliani et Mariae, art. XI et alibi.*

CAPUT IV.

DE RECEPTORE REGIO.

Receptor regius vocatur receptor et consiliarius Suae Majestatis. Solet etiam vocari redituarius principis.

Est receptor ducis Brabantiae in quarterio, ut loquuntur, Lovaniensi.

Sunt autem in districtu quarterii Lovaniensis minora oppida, Thenae in Montibus, Lewa, Arschtum, Diest, Gemblacum, Geldonia, Hannutum, Landa, Halae, Sichenae.

Multi in hoc officio Lovanii claruerunt. E quibus, honoris causa, nomino Ludovicum de Rike et Adrianum Helwyghen. Ille enim fundator est collegii Theologorum; hic vero in Chartusia, ubi cellam, dotavit sepultus, multis nominibus Adriano pontifici et magistrato nostro fuit gratissimus¹.

Invitatur ab Universitate ad omnes promotiones doctorales.

Meminerit, ut juxta Catholicae Majestatis voluntatem professoribus Universitatis honoraria sua prompte persolvat.

Meminerit quoque apud Cassiodorum Gothorum reges imperasse professoribus salarii tardius persoluti etiam usuras deberi.

Non est de corpore magistratus, quanquam honoris causa tertius ei locus detur in processionibus.

Multi autem mallent eum a solvendo, hispanica phrasi, dici et esse pagadorem, quam a recipiendo receptorem.

Praest judicio in causis teloneorum. Qua de causa assistunt ei mansionarii haereditarii.

Debet quoque constituere undecim juratos mercatores. *Liber B. folio 148, anno 1429.*

CAPUT V.

DE SUB-CONSULE.

In consulem inferiorem unus eligitur, ex decem plebeis consiliariis, per suffragia undecim consiliariorum superioris lateris.

Habet duplex in deliberando suffragium.

¹ Vide supra p. 299.

CAPUT VI.

DE SCABINIS.

Scabinos septem nominat dux Brabantiae.

Quatuor ex nationibus, unum ex Gulda fratrum, duos ex opificum collegiis.

Inter quos plerumque sunt antiqui consules. Unde manavit commune dictum, *Borghemeester aff, scepen aen.*

Horum iudicium quam late se extendat, videatur in libro consuetudinum Lovaniensium.

Solemne et strictum praestant iuramentum, cujus eos semper memores esse oportet.

Fratres Guldae nominant duci personas duodecim, e quibus seligit scabinos septem.

Praemittunt autem fratres iuramentum, quod eligent personas maxime idoneas et prudentes, quae per neminem apud eos sollicitarunt.

« Henricus de Lovanio, major filius ducis Lotharingiae, omnibus praesentem visuris paginam, etc. In perpetuum universitati vestrae significamus, quod nos, tactis sacro-sanctis, iuravimus, et iurando burgensibus Lovaniensibus promisimus, quod eos a modo in libertate antiqua conservabimus ac ipsos secundum sententiam scabinorum inviolabiliter tractari facimus et conservari. » *Actum anno gratiae 1233.*

D. Godefridus van Winde, eques, a scabinis Lewensibus appellavit ad scabinos Lovanienses. Quo itum est pro iudicatura capitis. *Liber G. folio 20.*

Scabini de Merchtenis agnoscunt caput suum scabinos Lovanienses, anno 1409, die 23 augusti. *Liber G. folio 24.*

Quod Lovanienses habeant primam instantiam, cognitionem et iudicaturam de literis scabinorum Lovaniensium, de hominibus S. Petri, et de civibus foris arestatis et captis, exstat declaratio Caroli V, facta anno 1542. *Libro II Privilegiorum, folio 227.*

Gaesbecani petiverunt a scabinis Lovaniensibus, tanquam a capite, sententiam anno 1563, 28 augusti, et 1573, 15 januarii. Et utraque vice magistratus eis propinavit vinum.

CAPUT VII.

DE CONSILIARIIS OPPIDI.

Fratres Guldae, praevio juramento, eligunt ex nationibus undecim consiliarios et quatuor decanos.

Qui omnes sunt de familia S. Petri.

Collegia opificum similiter ex suis collegiis nominant consiliarios decem.

Ibi viginti et unus consilarii vocantur etiam jurati; praestant enim de multis articulis arctum juramentum.

Et soli, cum septem scabinis, habent in magistratu vocem definitivam. Unde proprie magistratus habet personas viginti et octo.

Convocatur aliquando ex horum judicio latum consilium, teutonice *die buyten Raedt*.

CAPUT VIII.

DE PENSIONARIO ET SECRETARIIS.

Quum pensionarius in omnibus legationibus et negotiis obeundis consulem comitetur, sitque organum sive os ipsius consulis et magistratus, maxime adlaborare oportet, ut assumatur vir integerrimus.

Qua in re quum recenti memoria civitates aliquot peccaverint, quam male eis hoc cesserit, tristissimi eventus docuerunt.

Porro secretarios habet magistratus sex, in qualibet camera duos. Quos plerumque assumit ex clericis.

Habent enim secretarii in qualibet camera suos clericos, qui omnia diligenter conscribunt.

CAPUT IX.

DE RECEPTORIBUS ET CLERICIS REGISTRI.

Receptores sunt numero quatuor, duo antiqui, anni praecedentis, et duo novi, anni praesentis.

Unum receptorem eligunt fratres Guldae ex collegio suo, alterum collegia opificum.

CAPUT X.

DE DECANIS DOMUS PANNORUM.

Decani sunt in domo pannorum octo; quatuor ex familiis, quos nominant fratres Guldae pannorum.

Et quatuor ex fratribus Guldae, qui nominantur per collegia opificum. Habent primam judicaturam de pannis et aliis quibusdam, prout legitur in libro consuetudinum urbis et alibi.

Est praeterea camera pupillaris, cujus collegii magistris sive archimamburnis senatus praescripsit ordinationes, in articulis 75 comprehensas, anno 1565.

CAPUT XI.

SERIES CONSULUM OPPIDI LOVANIENSIS AB ANNO 1378 ¹.*Magistri communitatis.*

Anno.	Ex familiis sancti Petri.	Ex plebe.
1378.	D. Johannes de Swertere, II.	Gualterus vander Heiden.
1379.	Simon van Overbroeck. Joannes van Borchove, substitutus.	Wilhelmus Hertshals.
1380.	D. Joannes de Swertere, III. Arnoldus Goedertoy a decembri substitutus exulantis.	Walterus de Zas, II.
1381.	Reinerus van Oerbeke.	Jacobus in den Hase.
1382.	Henricus van Oerbeke, I.	Joannes Willemaer.
1383.	Arnoldus van Ypere, I.	Henricus vanden Ripe.
1384.	Henricus van Oerbeke, II.	Gualterus de Zas, II.

¹ Continua magistratus Lovaniensis series, ex publicis oppidi tabulis petita, exstat in libello a Guilielmo Willems vernaculo idioma Lovanii

edito, anno 1667, et in nova editione operum Petri Divaei, ibidem typis excusa anno 1757 in-folio.

Anno.	Ex familia Sancti Petri.	Ex plebe.
1385.	Gualterus Kemerlinck, II.	Joannes Stockelpot, I.
1386.	Arnoldus van Ypere, II.	Gualterus vanden Broecke, I.
1387.	Godefridus vanden Berghe.	Gerardus de Gruetere, I.
1388.	Henricus van Oerbeke, III.	Gualterus Zas, III.
1389.	Golinus de Vroede.	Gerardus de Gruetere, II.
1390.	Ludovicus Pynnock, I.	Gualterus Zas, IV.
1391.	Godefridus vanden Berghe, II.	Joannes Stockelpot, II. Moritur.
		Gualterus vanden Broecke, II.
1392.	Gosuinus vander Calsteren, I.	Gualterus Zas, V.
1393.	Ludovicus Pynnock, II.	Henricus van Meensele, I.
1394.	Gualterus Kemerlinck, III.	Gerardus de Gruetere, III.
1395.	Godefridus vanden Berghe, III.	Gualterus vanden Broecke, III.
1396.	Gosuinus vander Calsteren, II.	Gualterus Zas, VI.
1397.	Ludovicus Pynnock, III.	Henricus van Meensele, II.
1398.	Gosuinus vander Calsteren, III.	Gualterus Zas, VII.
1399.	Ludovicus Pynnock, IV.	Henrick de Joede, I.
1400.	Gualterus Pynnock, I.	Gualterus Zas, VIII.
1401.	Ludovicus Pynnock, V.	Gualterus vanden Broecke, IV.
1402.	Joannes de Witte, I.	Gualterus Zas, IX.
1403.	Ludovicus Pynnock, VI.	Henrick de Naem.
1404.	Gualterus Pynnock, II.	Gualterus Zas, X.
1405.	Ludovicus Pynnock, VII.	Henrick de Joede, II.
1406.	Joannes van Huffele, I.	Nicolaus Houchet vanden Rons.
1407.	Ægidius de Rike, I.	Gerardus de Gruetere, IV.
1408.	Joannes van Huffele, II.	Nicolaus Houchet vanden Rons, II.
1409.	Gualterus Pynnock, III.	Henricus de Joede, III.
1410.	Joannes vanden Huffele, III.	Joannes vanden Brugghe, Pistor.
1411.	Ludovicus Pynnock, VIII.	Henricus de Joede, IV.
1412.	Joannes vanden Huffele, IV.	Nicolaus Houchet, III.
1413.	Joannes de Witte, II.	Matthias Davyts, I.
1414.	Joannes vanden Huffele, V.	Henricus de Joede, V.
1415.	Ægidius de Rike, II.	Nicolaus vanden Rons, IV.
1416.	Joannes vanden Huffele, VI.	Matthias Davyts, II.

Anno.	Ex familia Sancti Petri.	Ex plebe.
1417.	Ægidius de Rike, III.	Henricus de Joede, VI.
1418.	Joannes vanden Huffele, VII.	Gosuinus Oudenrogghe, I.
1419.	D. Ludovicus Pynnock, I.	Matthias in de Tessche.
1420.	Raso van Graven, I.	Claes Houchet, V. Obiit. Joannes Type.
1421.	Joannes van Huffele, VIII.	Gosuinus Oudenrogghe, II.
1422.	Joannes de Witte, III.	Arnoldus Bove.
1423.	Ludovicus Roelants, I.	Gosuinus Oudenrogghe, III.
1424.	Joannes de Witte, IV.	Henricus de Vroede, I.
1425.	D. Ludovicus Pynnock, Eques, II.	Everardus van Winghe, I.
1426.	Ægidius de Rike, IV.	Henricus de Vroede, II.
1427.	Raso van Graven, II.	Petrus Willemair.

*Hactenus vocati sunt Communitatis Magistri : deinceps scribuntur
Burgi Magistri (Burgmeesters).*

1428.	Jacobus Uten Liemighen, I.	Gerardus van Haenwyck.
1429.	Ludovicus Roelants, II.	Gualterus Capelleman, I.
1430.	Jacobus Uten Liemighen, II.	Andreas van Voshem, I.
1431.	Ludovicus Roelants, III.	Everardus van Winghe, II.
1432.	Jacobus van Liemighen, III.	Andreas van Voshem, II.
1433.	Ludovicus Roelants, IV.	Henricus Wante, I.
1434.	Jacobus van Liemighen, IV.	Gualterus Capelleman, II.
1435.	Nicolaus de Kersmakere, I.	Andreas van Voshem, III.
1436.	D. Ludovicus Pynnock, Eques, III.	Henricus Wante, II.
1437.	Nicolaus de Kersmakere, II.	Everardus van Winghe, III.
1438.	Jacobus Uten Liemighen, V.	Franco Willemair, I.
1439.	D. Ludovicus Pynnock, Eques, IV.	Arnoldus van Vinkenbosch, I.
1440.	Jacobus Pynnock.	Joannes de Rykere, I.
1441.	D. Ludovicus Pynnock, Eques, V.	Franco Willemair, II.

Anno.	Ex familia Sancti Petri.	Ex plebe.
1442.	Jacobus Uten Liemighen, VI.	Andreas van Voshem, IV.
1443.	Jaspar Absoloens, I.	Arnoldus van Vinckenbosch, II.
1444.	Michaël Absoloens, I.	Gualterus Capelleman, III.
1445.	Jaspar Absoloens, II.	Franco van Dieven, I.
1446.	Michaël Absoloens, II.	Franco Willemair, III.
1447.	Nicolaus de Kersmakere, III.	Henricus van Lintere, I.
1448.	D. Ludovicus Pynnock, VI.	Franco Willemair, IV.
1449.	Jacobus Uten Liemighen, VII.	Henricus van Lintere, II.
1450.	Michaël Absoloens, III.	Franco Willemair, V.
1451.	Jaspar Absoloens, III.	Henricus van Lintere, III.
1452.	Jacobus van Liemighen, VIII.	Laurentius van Winghen.
1453.	Nicolaus de Kersmakere, IV.	Franco Willemair, VI.
1454.	Jaspar Absoloens, IV.	Franco van Dieven, II.
1455.	Ludovicus Roelofs, I.	Joannes de Rykere, II.
1456.	Libertus, dominus de Meldert, I.	Franco Willemair, VII.
1457.	Jacobus Uten Liemighen, I.	Franco van Dieven, III.
1458.	Nicolaus de Kersmakere, V.	Quintinus Couckeroul, I.
1459.	Jacobus Uten Liemighen, II.	Franco Willemair, VIII.
1460.	Ludovicus Pynnock.	Quintinus Couckeroul, II.
1461.	Jacobus Uten Liemighen, III.	Joannes Oudenrogghe, I.
1462.	Nicolaus de Kersmakere, IV.	Franco Willemair, IX.
1463.	Joannes vanden Bosch, junior I.	Quintinus Couckeroul, III.
1464.	D. Jacobus Uten Liemighen, Eques, I.	Joannes Meercels, I.
1465.	Ludovicus Roelofs, II.	Petrus vander Hoeven, I.
1466.	Ludovicus Roelants, I.	Franco Willemair, X.
1467.	D. Joannes Uten Liemighen, Eques, I.	Petrus vander Hoeven, II.
1468.	D. Jacobus Uten Liemighen, Eques, II.	Joannes Oudenrogghe, II.
1469.	Ludovicus Roelofs, III.	Petrus vander Hoeven, III.
1470.	Ludovicus Roelants, II.	Gosuinus Tybe, I.
1471.	D. Jacobus van Liemighen, Eques, III.	Joannes van Thienen.

Anno.	Ex familiis Sancti Petri.	Ex plebe.
1472.	D. Libertus van Meldert, II.	Joannes Oudenrogghe, III.
1473.	Ludovicus Roelofs, IV.	Gosuinus Tybe, II.
1474.	D. Libertus van Meldert, III.	Joannes Oudenrogghe, IV.
1475.	Ludovicus Roelofs, V.	Ægidius de Vos.
1476.	D. Michaël Absoloens, Eques, I.	Joannes Meerccels, II.
1477.	Joannes vanden Bosch, II.	Laurentius van Winghe.
1478.	D. Joannes Pynnock, Eques, I.	Arnoldus vander Beret.
1479.	Cornelius van Berghem.	Ægidius van Caverson.
1480.	D. Joannes Pynnock, Eques, II.	Arnoldus vander Molen.
1481.	D. Michaël Absoloens, Eques, II.	Gosuinus Tybe, III.
1482.	D. Joannes Pynnock, Eques, III.	Joannes van Buetscle, I.
1483.	Daniel Boxhoren, junior, I.	Petrus vander Hoeven, IV.
1484.	D. Joannes Pynnock, Eques, IV.	Arnoldus van Hove, I.
1485.	Daniel Boxhoren, junior, II.	Gosuinus Tybe, IV.
1486.	D. Joannes Pynnock, Eques, V.	Arnoldus van Hove, II.
1487.	Daniel Boxhoren, junior, III.	Petrus vander Hoeven, V.
1488.	Raso van Graven, I.	Arnoldus van Hove, III.
1489.	Martinus van Oppendorp. Obiit. Reinerus van Liefkenrode, I.	Joannes van Buetscle, II.
1490.	D. Michaël Absoloens, Eques, III.	Arnoldus van Hove, IV.
1491.	Henricus Pynnock.	Joannes van Buetscle, III.
1492.	Godefridus Hermeys.	Arnoldus van Hove, V.
1493.	Ægidius van Duffle.	Ludovicus Baets, I.
1494.	Antonius Absoloens, I.	Petrus vanden Zande, I.
1495.	Joannes Uter Helicht.	Ludovicus Baets, II.
1496.	Antonius Absoloens, II.	Petrus vanden Zande, II.
1497.	Raso van Graven, II.	Ægidius Crol, I.
1498.	M. Reinerus van Liefkenrode, II.	Joannes van Rosmeer.
1499.	D. Joannes Pynnock, Eques, VI.	Joannes van Buetscle, IV.
1500.	Joannes van Schoenvorst, I.	Petrus van Yssche, I.
1501.	Joannes van Schoenvorst, II.	Petrus van Yssche, II. Obiit. Joannes Holair.

Anno.	Ex familiis Sancti Petri.	Ex plebe.
1502.	Godefridus vanden Berghe, I.	Ludovicus Baets, III.
1503.	Nicolaus van Graven, I.	Wilhelmus Tybe, I.
1504.	Godefridus vanden Berghe, II.	Ægidius Crol, II.
1505.	Nicolaus van Graven, II.	Wilhelmus Tybe, II.
1506.	Godefridus vanden Berghe, III.	Ægidius Crol, III.
1507.	Antonius Absoloens, III.	Judocus van Caverchon, I.
1508.	Gualterus vanden Tymple, I.	Joannes van Veken.
1509.	Antonius Absoloens, IV.	Ægidius Crol, IV.
1510.	Ludovicus vanden Tymple, I.	Wilhelmus Tybe, III.
1511.	D. Jacobus Uten Liemighen, Eques. Obiit.	Henricus de Costere.
1512.	Antonius Absoloens, V.	Judocus van Caverchon, II.
1513.	Nicolaus van Graven, III.	Wilhelmus Tybe, IV.
1514.	Antonius Absoloens, VI.	Judocus van Caverchon, III.
1515.	Nicolaus van Graven, IV.	Ludovicus Baets, IV.
1516.	Antonius Absoloens, VII.	Judocus van Caverchon, IV.
1517.	Nicolaus van Graven, V.	Ludovicus Baets, V.
1518.	Antonius Absoloens, VIII.	Judocus van Caverchon, V.
1519.	Joannes vanden Bosch, I.	Ludovicus Baets, VI.
1520.	Ludovicus vanden Tymple, II.	Ægidius Crol, V.
1521.	Gualterus vanden Tymple, II.	Ludovicus Baets, VII.
1522.	Ludovicus vanden Tymple, fi- lius Joannis, I.	Henricus Bericx, I.
1523.	Nicolaus van Graven, VI.	Joannes vander Hoeven, I.
1524.	Raso vander Linden, I.	Henricus Bericx, II.
1525.	Joannes Blanckaert.	Joannes Meis.
1526.	Ludovicus vanden Tymple, II.	Henricus Bericx, III.
1527.	Nicolaus van Graven, VII.	Henricus Willems.
1528.	Ludovicus vanden Tymple, III.	Joannes vander Hoeven, II.
1529.	Nicolaus van Graven, VIII.	Henricus Bericx, IV.
1530.	Ludovicus vanden Tymple, IV.	Joannes vander Hoeven, III.
1531.	Nicolaus van Graven, IX.	Antonius van Ermbeghem.
1532.	Raso vander Linden, II.	Henricus Bericx, V.

Anno.	Ex familiis Sancti Petri.	Ex plebe.
1553.	Nicolaus van Graven, X.	Antonius Berthyns, I.
1554.	Raso vander Linden, III.	Nicolaus vander Heyden, I.
1555.	Joannes vanden Bosch, II.	Antonius Berthyns, II.
1556.	Joannes vanden Tymple, I.	Nicolaus vander Heyden, II.
1557.	Nicolaus van Graven, XI.	Antonius Berthyns, III.
1558.	Joannes vanden Tymple, II.	Nicolaus vander Heyden, III.
1559.	Nicolaus van Graven, XII.	Joannes vander Hoeven, IV.
1540.	Joannes vanden Tymple, III.	Nicolaus vander Heyden, IV.
1541.	M. Joannes vander Linden, I.	Henricus Hueve.
1542.	Joannes vander Tommen, I.	Nicolaus vander Heyden, V.
1543.	Augustinus Vrancx, I.	Judocus de Moor, I.
1544.	D. Joannes vanden Tymple, IV.	Nicolaus vander Heyden, VI.
1545.	D. Joannes vander Linden, II.	Henricus Loenis, I.
1546.	D. Joannes vanden Tymple, Eques, V.	Nicolaus vander Heyden, VII.
1547.	Joannes vander Linden, III.	Henricus Loenis, II.
1548.	D. Joannes vanden Tymple, VI.	Matthias Reymers, I.
1549.	D. Joannes vander Tommen, Eques, II.	H. Loenis, filius.
1550.	D. Joannes vanden Tymple, VII.	Matthias Reymers, II.
1551.	D. Joannes vander Linden, IV.	Henricus Loenis, III.
1552.	D. Joannes vanden Tymple, VIII.	Matthias Reymers, III.
1553.	D. Joannes vander Tommen, III.	Hubertus van Bierbeke.
1554.	D. Joannes vanden Tymple, IX.	Matthias Reymers, IV.
1555.	D. Joannes vander Tommen, IV.	Daniel van Voshem, I.
1556.	Cornelius van Graven, I.	Matthias Reymers, V.
1557.	D. Joannes vander Linden, V.	Daniel van Voshem, II.
1558.	D. Joannes vanden Tymple, X.	Matthias Reymers, VI.
1559.	M. Augustinus vanden Bosch.	Daniel van Voshem, III. Judocus de Moor, II.
1560.	D. Joannes vanden Tymple, XI.	Matthias Reymers, VII.
1561.	Joannes vander Linden, VI.	Nicolaus vander Heyden, VIII.
1562.	M. Wilhelmus Boxhoren.	Matthias Reymers, VIII.

Anno.	De familijs Sancti Petri.	Ex plebe.
1563.	Gerardus van Griecken, I.	Nicolaus vander Heyden, IX.
1564.	D. Joannes vanden Tymple, XII.	Petrus van Caverson. Obiit. Judocus Hertshals.
1565.	Joannes Edelheer.	Joannes Baerts, I.
1566.	Gerardus van Griecken, II.	Petrus van Kelffs, I.
1567.	Joannes van Liedekercke, I.	Joannes Baerts, II.
1568.	Joannes Roelofs.	Petrus van Kelffs, II.
1569.	Joannes van Liedekercke, II.	Leonardus vander Hoeven, I.
1570.	idem, per continuationem, III.	II.
1571.	M. Joannes van Schore, I.	Michaël Goorts, I.
1572.	idem, per continuationem, II.	II.
1573.	idem, III.	III.
1574.	Joannes van Liedekercke, IV.	Libertus van Maelcote, I.
1575.	Domicellus Georgius van Schoonhoven [alia manu <i>cæ-</i> <i>lebs</i>].	Michaël Goorts, IV.
1576.	Gerardus van Griecken, III.	Libertus van Maelcote, II.
1577.	Wilhelmus Edelheer, I.	Michaël Goorts, V.
1578.	Joannes van Liedekercke, V.	Libertus van Maelcote, III. Obiit. Jacobus van Vossem, I.
1579.	Wilhelmus Edelheer, II.	Michaël Goorts, VI.
1580.	Joannes van Liedekercke, VI.	Wilhelmus Librechts.
1581.	Augustinus Vranx, II.	Michaël Goorts, VII.
1582.	Cornelius van Graven, II.	Hieronymus Loenis, I.
1583.	Augustinus Vranx, III.	Jacobus van Vossem, II.
1584.	Joannes van Liedekercke, VII.	Hieronymus Loenis, II.
1585.	Augustinus Vranx, IV.	Jacobus van Vossem, III.

CAPUT XII.

NOMINA ALIQUOT CONSULUM OPPIDI LOVANIENSIS ANTE ANNUM 1578.

Qui porro fuerint consules Lovanienses ante annum 1578, ex indice magistratus, eo quod is perierit, sciri non potest. Caeterum ex annalibus urbis quorundam memoria est conservata, qui inibi vocantur *Commyu Meyeren*, hoc est, Praetores aut Majores communitatis.

1539. Dominus Joannes de Rode.
 Dominus Rodulphus van Redingen.
1540. Dominus Ludovicus van Redingen.
1541. Wilhelmus vander Speect, I.
1542.¹.
1543. Joannes van Wilre.
 Gualterus de Witte.
- 1544, 1545, 46, 47, 48 *.
1549. Gualterus Evelooghe.
 Joannes van Wilre.
1550. Joannes Hers.
 Gosuinus vander Calsteren.
1551. Gualterus Evelooghe.
 Joannes van Wilre.
1552. D. Joannes Hers, ordinis equestris.
 Adam vanden Steene.
1553. Gualterus Evelooghe.
 D. Gualterus Heeremans, Eques.
1554. D. Joannes Hers, Eques.
 Rodulphus van Redingen.
1555. D. Ludovicus van Redingen, Eques.
 D. Gualterus Heeremans, Eques.
1556. Gualterus Evelooghe.
 Joannes van Grate.
1557. D. Joannes Hers, Eques.

¹ Vide Willems op. cit. p. 19.

- D. Joannes vanden Calstere, Eques.
1558. D. Gualterus Herremans, Eques.
Ægidius de Ryke.
1559. Gualterus Evelooghe.
Joannes van Raetshoven.
1560.
1561. Henricus de Pape.
Henricus Andries ex plebe.
1562. Petrus Coutereel, intrusus, cui extruso successit D. Joannes van Calstere, Eques.
Geldolphus Rogghe, ex plebe.
1565. Gualterus Evelooghe.
Arnoldus vanden Broeck, ex plebe.
1564.
1565. Gualterus Evelooghe.
Joannes van Loon, ex plebe.
1566. Ægidius de Ryke.
Joannes vanden Berghe.
1567. D. Joannes vanden Calstere, Eques.
Joannes van Loon, ex plebe.
1568. Ludovicus Keynooghe.
Joannes vanden Berghe.
1569. Joannes de Ryke.
Gerardus van Redingen.
Joannes de Witte, post mortem Divitis.
1570. Ludovicus Keynooghe.
Nicolaus van Dormale.
1571. Gerardus van Redingen.
Joannes de Witte.
1572. Petrus van Netenen.
Alardus de Zadelaer.
1573. Ludovicus Keynooghe.
Gualterus van Netenen.
1574. D. Joannes vanden Calstere, Eques.
Joannes de Witte.

HISTORIAE LOVANIENSIIUM

LIBER OCTAVUS.

DE SACRA MILITIA PRINCIPUM ET CIVIUM LOVANIENSIIUM.

DE

SACRA MILITIA PRINCIPUM ET CIVIUM LOVANIENSIVM¹.

CAPUT I.

DE SACRA MILITIA PRINCIPUM.

Contra Slavos.

Dagobertus Saxonibus contra Wenedos sibi auxiliantibus annum quingentarum vaccarum tributum eis indulget. *Sigebertus, ad annum 642.*

CAPUT II.

DE SACRA MILITIA ANSEGISI DUCIS².

Contra Chrocom regem.

Ansegisus Chrocom, Wandalorum regem, humani generis atque in primis christiani dogmatis hostem cruentissimum, apud Treviros abs se superatum, Belgicam excedere compulit. *Joannes de Castilione, archidiaconus Campiniae, in oratione coram Julio II.*

¹ Non pauca eorum hoc libro octavo repetit Molanus, quae leguntur in ipsius opere de *Militia sacra ducum et principum Brabantiae*, post aucto-

ris mortem ab Henrico Cuyckio cum notis Petri Louvii edito Antverpiae an. 1592 in-8°.

² Vide op. cit. p. 10 et supra p. 7.

CAPUT III.

DE SACRA MILITIA PIPINI II¹.*Contra Radbodum.*

Pipinus Radbodum, ducem Frisonum, bello vicit, et Willebrordum genti illi ad praedicandum dirigit. *Sigebertus, ad annum 694.*

Vir Domini Egbertus tentavit, in opus verbi, mittere viros sanctos et industrios duodecim, in quibus eximius Willebrordus presbyterii gradu et merito praefulgebat. Qui divertentes ad Pipinum, ducem Francorum, gratanter ab illo suscepti sunt. Et quia nuper citeriorem Frisiam, expulso inde Radbodo rege, ceperat, illo eos ad praedicandum misit, ipse quoque imperiali auctoritate juvans, ne quis praedicantibus quicquam molestiae inferret, multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens. *Beda, lib. V Historiae Anglorum, cap. 2.*

Contra Suevos.

Pipinus multa bella gessit contra Radbodum, gentilem, Frisonum ducem, similiter contra Suevos vel alias quamplures gentes. *Ado, Viennensis archiepiscopus, ad annum 714.*

Suevos Flandriae puto fuisse inquilinos. Nempe et in historiis Francorum mandatum est memoriae Suevos et Menapios ab Nortmannis, Curtraci hibernantibus, ad internecionem deletos esse. De his Audoenus episcopus scribit in vita S. Eligii: « Multos erroneos Suevos convertit. » *Meyerus, ad annum 649.*

Contra Theodoricum regem.

Pipinus multa praeclara bella gerens de omnibus fortiter triumphavit, ipsumque regem Francorum Theodoricum bello superans in fugam vertit;

¹ Vide op. cit. p. 41 et supra p. 8.

sed et beatum Lambertum, factione iniquorum de episcopatu ejectum, in cathedra sua decentissime collocavit. *Stephanus, abbas Leodiensis, in vita S. Theodardi, ad 12 maii.*

Pipinus sibi Neustriam subjugat, et sub Theodorico rege, toti regno principando, statum rerum meliorat; sanctum quoque Lambertum in Trajectensi praesulatu relocat. *Sigebertus, ad annum 691.*

CAPUT IV.

DE SACRA MILITIA CAROLI MARTELLI ¹.*Contra Saracenos.*

Carolus Saracenos, Galliam tentantes, duobus magnis praeliis, uno in Aquitania apud Pictavium civitatem, altero juxta Narbonam apud Byrram fluvium ita devicit, ut in Hispaniam eos redire compelleret. *Eginhardus, in vita Caroli Magni.*

Saraceni cum omnibus familiis suis, quasi in Galliis habitaturi, Garumnam transeunt, omnia devastant, ecclesias Dei cremant. Quibus Carolus, Dei auxilio fretus, bello concurrit, et ex eis trecenta octuoginta quinque millia cum rege suo Abdiramo peremit, et mille quingentos suorum amisit. *Sigebertus, ad annum 730.*

Anno 735 Carolus Avenionem, Galliae urbem, a Saracenis dolo et consensu Mauricii provinciae ducis captam obsidet, eaque fortiter recepta, Saracenos usque ad interneccionem delet. Anno 736, Saracenorum rege Athimo obsesso intra Galliae urbem Narbonam a Carolo, Saraceni ex Hispania cum alio rege Amorrei occurrunt subsidio. Qui congressi Carolo, ambobus regibus peremptis et civitate recepta ab eo, ultimo paene attriti sunt exterminio, eoque fugientes insequente residui demersi sunt in profundo. Anno 737 Nemausum, Agathen aliasque Gothicae regionis urbes a Saracenis invasas capit, et solo tenuis destruit. Anno 738, Arelato urbe Galliarum capta a Saracenis et omnibus circumquaque demolitis, Carolus ascito sibi ad auxilium Luitprando, rege Longobardorum, eis occurrit,

¹ Vide op. cit. p. 13 et supra p. 8.

eosque terrore nominis sui in fugam vertit. Sic Saracenis, qui totam paene Asiam, totam Libyam multamque partem Europae invaserant, Carolus, Dei auxilio, sua industria, Francorumque fortitudine, omnem spem invadendi Gallias abstulit.

Contra Aquitaniam.

Eudo dux, Carolo inferior per omnia, Saracenos contra eum invitat ab Hispania. *Sigebertus, ad annum 729.*

Carolus in Vasconia cum Eudone pugnat, eumque principatu et vita privat. *Idem, anno sequenti.*

Waifero et Hunaldo, filiis Eudonis, dimicando victis, Aquitaniam sibi subjugat. *Idem, anno sequenti.*

Contra Provinciam.

Carolus Mauritium, provinciae ducem, qui invitaverat Saracenos, debellat et provinciam sibi subjugat. *Sigebertus, ad annum 739.*

Contra Burgundiam.

Anno 731 Carolus, Lugduno aliisque civitatibus captis, Burgundiam sibi subjugat. *Sigebertus.*

Contra Frisios.

Frisiam aggressus, Poponem, ducem Frisonum, cum multis perimit, et Frisiam sibi subjugat. *Sigebertus, ad annum 734.*

Contra Alemannos, Bajoarios, Saxones et Suevos.

Carolus anno 723 Saxones debellat. Anno 724 Bajoarios armis subjugat. Anno 725 contra Lanfridum Alemannorum ducem dimicat : eoque victo,

Alemanniam sibi subjugat. Anno 727 Suevos et Bajoarios debellat. Anno 740 Saxones tributarios sibi facit. *Sigebertus*.

Luitprandum a Romana obsidione revocat.

Gregorius pontifex legatos maritimo itinere ad Carolum pro-regem destinavit, obtestans ut sibi atque affectis ecclesiae rebus succurreret, et obsidione Longobardorum urbem eximeret. *Sigonius, de regno Italiae libro III, ad annum 739.*

Carolus quanto ea res honori et regi et sibi futura esset intelligens, legatos liberalissime excepit, et foedere cum Ecclesia juncto, extemplo eos cum suis remisit, datis muneribus quae pontifici redderent, et mandatis quae ad Luitprandum super Romano bello deferrent. Grata Luitprando ea legatio fuit, Caroloque petenti ut Romana ditione sine maleficio discederet, haud gravate concessit. Oppida tamen quatuor, quae occupaverat, sibi retinuit, Ameriam, Hortam, Bledam et Polimartium. *Sigonius, ibidem.*

CAPUT V.

DE SACRIS BELLIS PIPINI REGIS ¹.

Contra Hunoldum Aquitaniae ducem.

Hunoldus, Aquitaniae dux, a Carolo subjugatus, eo mortuo rebellat.

Carolomannus et Pipinus regno Francorum potiti, cum exercitu Aquitaniam ingrediuntur contra Hunoldum ipsius provinciae ducem, capto castello, cui nomen Lucas est, priusquam ex provincia secederent. *Annales rerum Pipini, ad annum 742.*

Contra Saracenos in Italia.

Limitem Francici imperii usque in Noricum propagavit, novamque isthic

¹ Vide op. cit. p. 20.

Austriam auspicatus est, quum pontifici Romano fidam operam adversus Saracenos, oram Italiae devastantes, et contra Haistolfum Longobardorum regem navasset. *Lazius, lib. III de Gentium migrationibus.*

Contra Longobardos.

Anno 753 Stephanus papa venit ad Pipinum regem in villa, quae vocatur Carisiacus, suggerens ei ut se et Romanam Ecclesiam ab infestationibus Longobardorum defenderet. *Annales rerum Pipini.*

Pipinus rex anno 753, propter erepta Romanae Ecclesiae per regem Longobardorum dominia, Italiam manu valida ingreditur. Resistentibus Longobardis et claustra Italiae tuentibus, ad ipsas montium angustias, quas Clusas vocant, acerrime pugnatum est, cedentibusque Longobardis, omnes copiae Francorum viam quamvis difficilem non magno labore superarunt.

Haistolfus vero, rex Longobardorum, manum conserere non ausus, in civitate Papia a rege Pipino obsessus est, qui ante obsidionem non solvit quam firmitatis causa pro restituendis, quae Romanae Ecclesiae ablata fuerunt, quadraginta obsides recepit. Datis vero obsidibus, promissisque jurejurando firmatis, Stephanum papam Romam remisit. *Iidem Annales.*

Haistolfo ea quae Romanae Ecclesiae erant non reddente, Pipinus rex iterum cum exercitu Italiam intravit, et Haistolfum in Papia obsedit, et obsidione ad impletionem promissorum suorum compulit, redditamque sibi Ravennam et Pentapolim et omnem exarchatum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit. *Iidem Annales, anno 756.*

Haistolfus dolose meditans quae impleta fuerant commutare, in venatione de equo casu prolapsus, intra paucos dies vivendi finem fecit. *Ibidem.*

Contra Waifarium, Aquitaniae ducem.

Quum Waifarius, dux Aquitaniae, res ecclesiarum in sua potestate retineret, rex Pipinus eas bello exacturus, contractis undique copiis, Aquitaniam ingreditur. Waifarius, missa legatione, spondet se ecclesiis sua jura redditurum, obsides qui imperarentur daturum. Quibus acceptis, rex bello abstinuit. *Annales rerum Pipini, anno 760.*

Quumque Waifarius, quamquam obsides dedisset, sacramentaque jurasset, bellum resumeret, Pipinus rex cum omnibus copiis ad eum persequendum animum intendit, nec prius destitit, quam et caperet et rebellantem quoque interficeret. *Annales iidem.*

Contra Saxones.

Pipinus rex, commissis passim praeliis, plurimam Saxonum multitudinem cecidit, coegitque ut promitterent se omnem voluntatem ejus facturos, et singulis annis, honoris causa, ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturus. *Annales rerum Pipini.*

Contra Bavaros.

Pipinus contra Bajoarios duo bella feliciter absolvit : primum contra Odilionem ducem ; secundum contra Grifonem fratrem suum, qui ipsum ducatum in suam redegerat potestatem ; tertium vero contra Tassilonis ducis defectionem suscipiendum, bello Aquitanico distractus et morte praeventus, non inchoavit. *Ex Annalibus rerum Pipini.*

CAPUT VI.

DE SACRIS BELLIS CAROLI MAGNI ¹.

Bellum Aquitanicum.

Omnium bellorum, quae gessit Carolus, primo Aquitanicum suscepit, quod perfecto fine conclusit. Nam Hunoldum, qui post Waifarii mortem Aquitaniam occupare bellumque paene peractum reparare tentaverat, Aquitaniam relinquere et Vasconiam petere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, Lupo, Vasconum duci, per legatos mandat, ut perfugam reddat : quod ni faciat, bello eum se expostulaturum. Sed Lupus,

¹ Cfr. op. cit. p. 25 et sqq.

saniori usus consilio, non solum Hunoldum reddidit, sed etiam seipsum cum provincia, cui praeerat, ejus potestati submitit. *Eginhardus*.

Contra Longobardos.

Carolus, dux Francorum, patrimonia apostolica Dei Ecclesiae, quae a perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Ecclesiae Dei nostri, cujus esse dinoscebantur, reddidit. *Adrianus Papa, ad Constantinum et Irenem.*

Rogatu et precibus Adriani, Romanae urbis episcopi, exoratus, bellum contra Longobardos suscepit, nec prius destitit, quam et Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet, et filium ejus Adalgisum, in quem spes omnium inclinatae videbantur, non solum regno sed etiam Italia decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, Ruodgausum, Foro-Juliani ducatus praefectum, res novas molientem opprimeret, totamque Italiam suae ditioni subjugaret, subactaeque filium Pipinum regem imponeret. *Eginhardus*.

Contra Saxones.

Susceptum contra Saxones bellum, quod magna utrimque animositate, tamen majore Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur, ea conditione a rege proposita et ab illis suscepta constat esse finitum, ut, abjecto daemone cultu et relictis patriis caerimoniis, Christianae fidei atque religionis sacramenta perciperent, et Francis adunati unus populus cum eis efficerentur. *Eginhardus*.

Bellum Hispanicum.

Quum assiduo paene cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca praesidiis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur saltuque Pyrenaei superato, omnibus quae adierat oppidis atque castellis in deditionem acceptis, salvo atque incolumi exer-

citu revertitur, praeter quod in ipso Pyrenaei jugo Vasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. In quo praelio Rullandus, Britannici littoris praefectus, cum aliis compluribus interficiuntur. *Eginhardus*.

In Gallaecia corpus beati Jacobi apostoli, nefandis idolorum ritibus oppressum, hodierno honori restituit. *Martyrologium Aquisgranense*.

Contra Brittones.

Domuit et Brittones, qui ad occidentem in extrema Galliae parte residentes, dicto audientes non erant, missa in eos expeditione, qua et obsides dare et quae imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. *Eginhardus*.

Contra Beneventanos.

Postea cum exercitu Italiam ingressus, bellum Beneventanis, ni sese dederent, comminatus est.

Praevenit hoc dux gentis Aragisus, rogans ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur. *Eginhardus*.

Ita Beneventanos, contra Romanam Ecclesiam initia maximae seditionis moventes, maxima celeritate Italiam repetens, solo adventu compressit.

Contra Bavaros.

Bajoaricum deinde bellum et repente ortum et celeri fine completum est. Quod superbia simul et socordia Tassilonis ducis excitavit, hortatu uxoris, quae filia Desiderii regis erat, ac patris exilium per maritum ulcisci posse putabat. *Eginhardus*.

Contra Sclavos.

His motibus compositis, Sclavis, qui nostra consuetudine Wilsii dicuntur, illatum est bellum, quod Abotrilos, qui cum Francis olim foederati sunt,

assidua incursione lacescebant, nec jussionibus coerceri poterant. Quos ille una tantum, et quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, ut ulterius imperata facere minime renuendum judicarent. *Eginhardus.*

Contra Hunnos.

Maximum omnium quae ab illo gesta sunt bellorum, praeter Saxonicum, huic bello successit, quod contra Auares sive Hunnos susceptum est. Quod ille et animosius quam caetera et longe majori apparatu administravit. Unam per se in Pannoniam (nam hanc provinciam ea gens tunc incolebat), expeditionem fecit, caeteras filio suo Pipino ac praefectis provinciarum, comitibus etiam atque legatis commisit. Quod quum ab iis strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. *Eginhardus.*

Quot praelia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatione Pannonia, et locus in quo regia Cagani erat ita desertus, ut ne vestigium quidem in eo humanae habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunnorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia et congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sunt. Quippe quum usque id temporis paene pauperes viderentur, tantum auri et argenti in regia compertum, tot pretiosa spolia in praeliis sublata, ut merito credi posset hoc Francos Hunnis juste eripuisse, quod Hunni prius aliis gentibus injuste eripuerant. *Idem.*

Contra Bohemos et Livones.

Boemanicum bellum et Livonicum, quae postea exorta sunt, diu durare non potuerunt; quorum utrumque ductu Caroli junioris celeri fine completum est. *Eginhardus.*

Contra Nordmannos.

Ultimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde majori classe Galliae atque Germaniae littora vastantes, bellum susceptum est. Quorum rex Godefridus, quum Abotritos in suam potestatem redegisset, a proprio satellite interfectus, et suae vitae et belli a se inchoati finem acceleravit.

Contra piratas Nordmannos et Mauros.

Quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum assidua infestatione vastabant, per omnes portus et ostia fluminum stationes et excubias disposuit. Fecit idem in littore provinciae Narbonensis et Septimaniae, toto etiam Italiae littore usque Romam, contra Mauros nuper piraticam exercere aggressos. Ac per hoc nullo gravi damno vel a Mauris Italia vel Gallia atque Germania a Nordmannis diebus suis affecta est, praeter quod Centum Cellae, civitas Etruriae, per prodicionem a Mauris capta atque vastata est, et in Frisia quaedam insulae, Germanico littori contiguae, a Nordmannis depraedatae sunt. *Eginhardus.*

Pro Leone.

Romani Leonem multis injuriis affectum, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, Ecclesiae statum, ibi totum tempus hyemis protraxit, quo tempore Imperatoris et Augusti nomen accepit.

CAPUT VII.

BELLA LUDOVICI IMPERATORIS PRO CHRISTIANA REPUBLICA ¹.

Ludovicus imperator, quamquam pacis et legationum pacis fuerit amantissimus, habuit tamen bella quaedam contra quosdam populos ac principes deficientes aut contumaces. Quae fere fuerunt contra Sorabos, Vascones, Danos, Bernhardum Italiae regem, Brittones, Lundewitum Pannoniae inferioris ducem, Sclaomir regem Abotritorum et Abulaz regem Saracenorum. *Ex annalibus rerum Ludovici.*

Incurtio Nordmannorum.

Nordmanni Gallias graviter infestant, Dorestadum vastant, Andoverpum oppidum et Witlam emporium situm juxta ostium Mosae incendunt. A Frisonibus tributum accipiunt, Walachriam insulam vastant et tributum exigunt. *Sigebertus, ad annum 837 et sequentem.*

Quid tum Ludovicus egerit, non legi. Fortassis Deo ita disponente, Nordmanni enim alibi impeditum anteverterunt. Concilium enim Meldense Nordmannos vocat dignos meritis nostris apostolos. *In praefatione synodi, tomo III.*

CAPUT VIII.

DE SACRA MILITIA LOTHARII REGIS ².*Beneventi contra Saracenos.*

Saracenis Beneventanam regionem incursantibus Ludovicus imperator viriliter accurrit. Ad cujus auxilium Lotharius frater ejus properans multa quidem praelia cum eo strenue gessit, sed exercitu suo propter intemperiem aëris morbis et morsibus araneorum nimis gravato, cum multo suorum dispendio rediit. *Sigebertus, ad annum 867.*

¹ Cfr. op. cit. p. 30.

² Cfr. op. cit. p. 33 et sqq.

CAPUT IX.

DE SACRA MILITIA CAROLI CALVI ¹.*Contra Nordmannos Lovanii.*

Anno 885 Carolomanno, Francorum rege, mortuo, Nordmanni Franciam repetunt dicentes se cum rege Francorum tantum non cum Francis pacis pepigisse pactum. Hinc compulsi Franci Carolum imperatorem ad auxiliandum sibi invitantes, Franciam ei subjiciunt. Qui contra Nordmannos apud Lovanium castra metatos semel et bis exercitum misit, sed nihil dignum fecit. *Sigebertus, ad annum 885.*

Ad horum malitiam compescendam imperator semel et iterum exercitum misit, sed nihil dignum adversus tantam violentorum rapacitatem actum est. *Regino abbas, persecutionis consors.*

Peccatis Christianorum obstantibus minime praevalere potuit. *Becanus, Historiae Ultrajectinae cap. 29.*

Contra Nordmannos instituitur comitatus Hollandiae.

Anno Domini 863, Carolus Calvus, Hollandiam omnino esse desolatam percipiens, tradidit eam ad instantiam comitis Hachononis nobili viro Theodorico, fratri Valgeri principis. *Becanus, Historiae Ultrajectinae cap. 28.*

Item, idem Theodoricus et sua posteritas eandem ditionem feudali jure possederunt, ut atroces Danos de finibus Romanorum regis potentissime profugarent. *Ibidem.*

Ludovicus autem, rex et frater dicti Caroli, contulit eidem Theodorico comiti, precibus Hemniae reginae, forestum Wasta comitatui suo contiguum, pro eo quod vir esset valde famosus et in cunctis gestis militaris exercitii collaudandus. *Ibidem.*

Circa haec tempora (anni 900) secundo nonas octobris requievit in Christo Theodoricus primus comes Hollandiae ac dominus magnae partis

¹ Vide op. cit. p. 35 et supra p. 12.

ulterioris Frisiae. Qui princeps imperterritus fuit, ac limites suos contra Danos potestative rexit. *Ibidem*, cap. 30.

Contra Nordmannos instituitur comitatus Flandriae.

Carolus primum Batavorum seu Hollandiae comitem Theodoricum creasse legitur. Ejus regis aetate Flandria, quae paucis tunc vicis atque aedificiis ornata erat; et feris magis quam hominibus incolebatur, eique praeficiebatur a rege custos, qui Francorum lingua Forestarius dicebatur, comitatus dignitatem hac occasione accepit. Erat Balduinus, Audaqueri filius, qui patre defuncto quum in magistratu fuisset a Carolo institutus, Judith regis filiam, dum ex Anglia revertitur, sibi rapere temerarius juvenis ausus est. Nupserat enim Adelafo¹ regi, qui quum absque liberis decessisset, Judith vero destituta in Franciam ad patrem rediens deprehensa est. Cujus rei gratia Caroli jussu coeuntes episcopi Balduinum excommunicatione percellunt. At quum nihilominus facti non poeniteret, consilio procerum persuasus Carolus permittit filiam Balduino in matrimonium copulari. Et de custode Flandriae comitem Balduinum instituit. Plerumque siquidem id evenit, ut quae peccata atque injurias facile ulcisci non possumus, eas alicujus dignitatis ratione assumpta ad gloriam perducamus. *Gaguinus, libro V.*

CAPUT X.

DE CLADE NORDMANNORUM APUD LOVANIENSES².

Nordmanni quum Franciam et Lotharingiam, duo potentissima regna, summa barbarie devastarent, Lovanium anno 882 non solum occuparunt, omnesque ejus ecclesias concremarunt, sed praeterea annis circiter decem (ut urbis testantur archiva) latrociniorum suorum atque sacrilegiorum speluncam habuerunt.

Scripsit in ea tempestate Regino, abbas Prumiensis: « Nordmanni rursus in regno Lotharii revertentes, in loco qui dicitur *Loven* castra se-

¹ Seu *Etelwolphi*.

² Vide op. cit. p. 44.

desque statuunt, in confinio utriusque regni, et continuis incursionum infestationibus utraque regna fatigant. Ad quorum malitiam compescendam imperator semel et iterum exercitum misit, sed nihil dignum adversus tantam violentorum rapacitatem actum est ¹. »

Ideo autem Regino Lovanium nominat limitaneam Lotharingiae civitatem, quia quae in illo regno septentrionem versus sequebantur, a Nordmannis incendio erant vastatae ac deletae; Malina videlicet sive Mechlinia; Ledo, villa S. Gummari, quae nunc Lira; Torninum oppidum, quod nunc Dorna pagus, et Andowerpa sive Antverpia, marchiae sedes.

Verum anno 891 aut sequenti (variare enim animadverti scriptos Reginonis codices) Nordmanni regnum Lothariense licentius depopulantur, et apud Leodium, episcopalem ejusdem regni urbem, sexto kalendas julii Christianos vincebant, ingentique clade afficiebant. In quo praelio occubuerunt Sunzo, episcopus Moguntiae, Arnulphus comes et innumera multitudo nobilium virorum.

Quorum tristissimam stragem hostiumque victoriam ubi intellexit imperator Arnulphus, pacem iniit cum Bohemia, ut contra barbaros et foedifragos Nordmannos sese objiceret. Descendit itaque ex Bavaria cum omnibus Imperii, Germaniae et Franciae viribus, transmissoque Rheno, ad Mosan castra statuit. Nordmanni vero, quum acies cernerent appropinquare in agro Lovaniensi, super fluvium Tiliam, quem nunc molliori pronuntiatione Diliam dicimus, ligno et terrae congerie, more solito, se communiverunt et ex superiori victoria elati cum insultatione, cachinnis et exprobrationibus agmina laceraverunt. Unde Arnulphus felle commotus exercitum jussit descendere, et, Deo vires coelitus administrante, eos usque ad interneccionem delevit.

Regino et Sigebertus, uterque Lotharingiae nostrae historicus, tantam Nordmannorum ad Tiliam stragem fuisse commemorant, ut ex innumerabili multitudine vix unus superfuerit, qui ad classem adversum nuncium ferret. Pulchre de hac victoria Helmoldus, presbyter Lubecensis, ante annos quadringentos exclamavit: « Bellum coelitus administratum est; siquidem, centum millibus paganorum prostratis in bello, vix unus de Christianis cecidisse repertus est. Et ita extincta est persecutio Nordmannorum,

¹ Vide supra p. 5.

Domino vindicante sanguinem servorum suorum, qui jam per annos septuaginta effusus est. » *In historia Slavorum, cap. 2.*

Meminit praeterea Wolfgangus Lazius, in opere de Gentium migrationibus, Arnulphum hac victoria potitum esse kalendis septembris, ipsumque sedecim signa, quae hostibus ademerat, in Bavariam transmisisse. *Libro III.*

Sed et archiva Lovaniensis urbis festivitatem et celeberrimam supplicationem suam, quae annua est prima dominica die mensis septembris, ad perpetuam hujus victoriae memoriam referunt.

CAPUT XI.

QUANTA FUERIT NORDMANNORUM PERSECUTIO.

De hac persecutione Nordmannorum, quomodo post annos septuaginta sit extincta, dictum est ex Helmoldo. Sed attendamus quoque ad ea, quae apud eundem scriptorem praecedunt: « Populis, ait, Slavorum et caeteris gentibus fide imbuendis grave ab initio praebuit impedimentum ea bellorum tempestas, quae Nordmannis tumultuantibus in toto paene desaevit orbe. Porro Nordmannorum exercitus collectus fuit de fortissimis Danorum, Sueonum, Norwecorum, qui tunc forte, sub uno principatu constituti, primo omnium Slavos, qui prae manibus erant, miserunt sub tributum, deinde caetera finitima regna terra marique vexabant. Quibus sane non parum addiderat virium ea Romani imperii diminutio, quae post tempora senioris Ludovici, prius quidem intestinis bellis exhaustum, postea in quatuor divisum portiones totidem gubernabatur regulis. Constat ergo isto tempore Nordmannos per Ligerim Turones succendisse, per Sequanam Parisios obsedisse, Karolum regem, timore compulsum, terram eis dedisse ad habitandum, quae a Nordmannis Nordmanniae nomen accepit. Deinde Lotharingia vastata et subacta est Frisia. Noster autem Ludovicus, rex Germaniae, Nordmannos foederibus sive praeliis hoc modo retinuit, ut quum Franciam totam vastaverint, regno ejus vel minime nocuerint. Post cujus mortem effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boëmi, Surabi, Susi et caeteri Slavi, quos ipse tributis subjecerat, tunc servitulis jugum

excusserunt. Tunc etiam Saxonia vastata est a Nordmannis sive Danis. Bruno dux occisus cum duodecim comitibus, Theodoricus et Macquardus episcopi obruncati. Tunc Frisia depopulata est, Trajectum civitas excisa. Tunc piratae Coloniam et Trevirim incenderunt, Aquisgrani palatium stabulum equis suis fecerunt. Moguntia, propter metum barbarorum, instaurari coepit.

« Karolus adolescens, filius Ludovici, ipso tempore Roma rediens, cum grandi exercitu Nordmannos juxta fluvium Mosam apprehendit; quos obsidione coarctans, quinto decimo demum die ad deditionem compulit. Captos ergo tyrannos Danorum, non ea qua decuit hostes Dei severitate ullus est, sed ad diuturnam dejectionem et gravem Ecclesiae ruinam, parcens impiis accepto ab eis jurejurando et foederis conditione, amplissime donatos ab se abire permisit. At illi regis adolescentis inertiam irridentes, ubi noxia libertate potiti sunt, rursus in unum conglobati, tantas strages dederunt, ut crudelitatis modum excesserint. Quid multa? Urbes cum civibus, episcopi cum toto grege simul obruti sunt, ecclesiae illustres cum fidelium caterva simul incensae sunt. Quam ob rem Karolus accusatus in curia et ob stultitiam regno depositus, Arnulphum germani sui filium accepit successorem. » Hactenus Helmoldus, presbyter Lubecensis, cap. 7 in *Chronicis Slavorum*.

Et mirum dictu, imperatorem, qui post Carolum Magnum inter omnes reges Francorum maximae fuit potestatis, in brevi ad tantam tenuitatem venisse, ut panis quoque egens ab Arnulpho, jam rege facto, stipendia miserabiliter exigeret, ac ab ipso paucos fiscos in Alemannia gratanter susciperet. Dicere hic poterat cum Job (cap. 30): « Elevasti me super nubem, et allisisti valide. » Et cum Psalmista (Ps. CI): « Elevans allisisti me. » *Otto, Frisingensis episcopus, lib. VI, cap. 9.*

Latissime autem se persecutio Nordmannica diffudit. Otto episcopus scribit Nordmannorum gentem inquietissimam in Apuliam irrupisse, multisque malis, fraude et vi incolas terrae afflxisse. *Libro VI, cap. 33.*

CAPUT XII.

DE SACRA MILITIA CONRADI, DUCIS LOTHARINGIAE POENITENTIS,
CONTRA HUNGAROS ¹.

Gens Hungarorum, ruptis clusis emissa, per Arnulphum imperatorem, totam Italiam, totamque Germaniam et Galliam, ut fera tempestas, vario vastationis genere depopulata est per annos circiter quinquaginta. *Sigebertus, in vita sancti Guiberti, cap. 13.*

Quo tempore, Conradus Lotharingiae dux, sive Cuno, Dei et imperatoris Ottonis primi transfuga, eos, dissidente regno, in Lotharingiam deduxit. Sed ubi Trajectum ventum est, quod Mosa alluit, incertum qua factione dissidium ab eis fecit. Hungari nihilominus Hasbaniam flamma et rapina aggressi, Carbonariam petiverunt et intra claustra Laubiensis monasterii, quod succenderunt, duos obruncarunt, Theodulphum et Theumarum. Quum autem munitiorem locum conscenderent, in quo clerici et monachi se ad resistendum paraverant, quia pro anima res erat, desperatis rebus inter litanias duae columbae ex adytis volarunt et trina obsidione acies obsidentium vallarunt. Et mox subsecuta est pluvia grandis, quae gentilitiam illis sagittandi artem, chordarum distentione, frustrata est. Pavor etiam tantus eos irruit, ut maturarint fugam ea via, qua venerant. *Folcuinus abbas, cap. 1 Miraculorum S. Ursuarii.*

Laubiensem hunc triumphum descripsit Folcuinus abbas Laubiensis. Et memorabilis fuit atque per Belgium lactissimus. Siquidem vastationes Italiae, Germaniae, Galliae, a Sigeberto in chronicis commemoratae, merito Belgas terrore concutiebant.

Tunc incensis ecclesiis, cruces a barbaris truncatae et ludibrio habitae, sacerdotes ante altaria trucidati. Clerus vulgo mixtus, aut interfectus, aut in captivitatem ductus. *Helmoldus, Historiae Slavorum cap. octavo.*

Dederunt autem Hungari paulo post poenas suae perfidiae, ita ab imperatore contriti ut nullus aut rarus evaderet. Anno 955, ait Lambertus Schafnaburgensis, Otto rex Ungarios, cum magno periculo sui, suorumque magna caede prostravit in Lechtfelt, in natali Sancti Laurentii.

¹ Vide op. cit. p. 38.

In quo bello cecidit etiam Cuno poenitens, non jam dux, sed miles imperatoris.

Qui Deum oraverat, ut pro poena perfidiae suae in ipso bello ab Hungaris perimeretur. *Sigebertus, ad annum 957.*

Porro Cameracensem civitatem, quum Hungari eam furibundo insultu invaderent, Fulbertus episcopus piis monitionibus cives roborans, et ardenti prece Deum, Deiparam virginem, et Gaugericum urbis patronum interpellans, inexpugnabilem et illaesam reddidit. Basilicam tamen memorati pontificis extra muros incensam vidit et doluit, multis inibi ex populo, et Ansfrido, Anselmo, Grimberto, Theodorico et Gentione, ex clericis, occisis. *Chronicon Cameracense.*

Hungaros quosdam, euntes et redeuntes per vicum Gemmelacensem, vir Dei Guibertus, paratus bibere calicem passionis, aggressus, paulatim mitigata rabie a regno diaboli abstraxit, cosque abjurantes sacramenta diabolicae militiae transcripsit in novum nomen militiae christianae. *Sigebertus, vitae S. Guiberti cap. 13.*

CAPUT XIII.

DE SACRA MILITIA SANCTI BRUNONIS, ARCHIEPISCOPI ET ARCHIDUCIS¹.

Contra equestris dignitatis latrones.

Junior fratrum dominus Bruno magnus erat ingenio, magnus scientia et omni virtute ac industria. Quem quum rex (Otto) praefecisset indomitae genti Lothariorum, regionem a latronibus purgavit et in tantum disciplina legali instruxit, ut summa ratio summaque pax illis in partibus locum tenerent. *Witichindus, libro II rerum Saxonicarum.*

Erat tunc miseranda facies monasteriorum, ecclesiarum et cleri. Quae enim ex Nordmannorum vastatione supererant, ea in Hannonia nobiles invaserant; verum Bruno nobilitatem et clerum, omnibus sedatis, in decen-
tissimum ordinem redegit, et collapsa loca tam sacra quam profana restauravit. *Hannoniae Chronica gallica, lib. XIV.*

¹ Vide op. cit. p. 61 et supra p. 46.

Contra Raginerium comitem.

Bruno, archiepiscopus et archidux Lotharingiae, secundas partes in regno fratris sui potenter et industrie administrans, Raginerium comitem Montensem, qui Longicollus cognominabatur, apud Valentianas evocatum cepit, et irrevocabili exilio damnavit, pro eo quod regnum bellis inquietabat. *Sigebertus, ad annum 959.*

Pro recuperatione ecclesiae Trajectensis.

Brunonem fratrem suum Otto imperator, instinctu Baldrici episcopi Trajectensis, direxit cum non spernenda manu ad restituendam urbem et liberandum circumvicinas provincias, antiquatis hostibus, quorum fortuna jam undique nutabat. Qui etiam victorioso bellum hoc injunctum exequitur, constituens ipsum Baldricum in sedem quietam. *Beda, praepositus, in Historia Trajectensi.*

Brunonem pater sanctus (Baldricus), quoniam Nordmanni Trajectensem destruxerant ecclesiam, ob ejusdem recuperationem voluit militare. *Luitprandus, lib. IV, cap. 7.*

Cum magna religione usus est officio sacerdotis, et exigente necessitate, jussu regis, functus est virtute magnanimi ducis. Nemo autem super hac re eum culpabilem dicat, quum Samuelem sanctum et alios plures sacerdotes pariter legamus et iudices. *Abbas Urspergensis.*

CAPUT XIV.

DE SACRIS CONATIBUS ROBERTI, COGNOMENTO FRISII, COGNATI COMITUM LOVANIENSIIUM
ET DUCUM BRABANTIAE, QUI OBIIT COMES FLANDRIAE ¹.

Contra Galliciam.

In Balduini comitatu ejusque familia servabatur quasi sancitum lege perpetua, ut unus filiorum totius Flandriae principatum solus haereditaria

¹ Vide op. cit. p. 79.

successione obtinere, ne in plures divisa provincia, claritas familiae, per inopiam rei familiaris obsoleret. Igitur quum Balduinus senior duos genuisset filios, Balduinum omnium, quae habebat, haeredem instituit. Roberto ubi primum aetas stipendiis faciendis matura visa est, naves paravit, aurum, argentum et caeteras longinquae profectionis impensas affatim praebuit, jussitque ut ad gentes exteras iret, et si vir esset propria sibi virtute regnum divitiasque pararet.

Ille patri acquiescens, assumpta secum multitudine, qua regio praegravari videbatur, navem ascendit et in Galliciam ire, eamque si votis Deus successum annuisset, sibi subdere cogitavit. Quumque post paucos dies ad ignota quaedam littora adplicavisset, et egressus in terram ab incolis loci praedas agere coepisset, illi ex omnibus partibus ad arcendam vim illico armati conveniunt. Facta congressione eum, quum aliquandiu pugnam fortiter sustinisset, in fugam vertunt, fugientem usque ad naves prosequuntur, sociosque ejus paene ad interneccionem prosternunt. Ipse, cum paucis vix fuga elapsus, ad patrem tantae calamitatis nuncius rediit. *Lambertus Schafnaburgensis, in Hirsfeldensi chronico, ad annum 1071, sui temporis res gestas describens.*

Ad sedem incertam.

A patre propter res male gestas, contumeliose repulsus, alia rursum via fortunam tentare aggreditur, omnia paratus etiam extrema perpeti, ut maculam veterem factis recentioribus elueret. Reparatis navibus et numero militum instaurato, marinis iterum fluctibus se credidit, in regionem longinquam ubi sedes vaganti Deus ostendisset iter facturum, et ecce, post paucos dies, tempestate infestissima circumventus, multis suorum naufragio amissis, ipse nudus omniumque rerum egens vix et aegre in littus evasit.

Contra Graecos.

Dehinc, assumpto plebeio habitu, inter eos qui Hierosolymam orationis causa pergebant, Constantinopolim ire parabat, vocatus eo crebris legationibus Nordmannorum qui sub imperatore Constantinopolitano militabant,

quique ei, si illuc veniret, totius Graeciae principatum pollicebantur. Sed imperator Constantinopolitanus, comperto hoc consilio, omnia flumina, per quae transitus in Graeciam esse poterat, appositis custodibus observari fecit, ut deprehensus illico trucidaretur. Sic conatus ejus coeptumque irritum fuit. *Lambertus, ibidem.*

CAPUT XV.

DE SACRA MILITIA GODEFRIDI, PATRIS GODEFRIDI GIBBOSI ¹.*Contra Nordmannos in Apulia.*

Leo papa imperatori anno MLI Wornathiae valefaciens, mediocriter compositis et causis ecclesiasticis et regni negotiis, Romam reversus est, abducens secum Godefridum ducem et fratrem ejus Fredericum, qui Gebehardo postmodum in apostolicam sedem successit, item alios quamplures tam clericos quam laicos in re militari probatissimos. Quorum virtute Nordmannis, qui Apuliam occupaverant, obviam ire parabat. *Lambertus Schafnaburgensis in Historia Hirsfeldensi.*

Ibi quoque per Godefridum haeretici deprehensi sunt et suspensi. *Idem.*

CAPUT XVI.

DE SACRIS BELLIS MATHILDIS, VIDUAE GODEFRIDI GIBBOSI,
DUCIS BRABANTIAE ².*Pro tuenda Ecclesiae auctoritate.*

Mathildis potentissima matrona, non solum egregia pietate ac religione omnium sui et superiorum saeculorum mulierum praestantissima, bellis assiduis pro tuenda Ecclesiae auctoritate administratis, singularibus laudi-

¹ Vide op. cit. p. 74.² Ibid. p. 78.

bus in perpetuum celebranda, gliscente inter Gregorium septimum et Henricum discordia, Lombardiae Tusciaeque ditionem sancto Petro donavit. *Carolus Sigonius, de regno Italiae.*

CAPUT XVII.

DE SACRO BELLO HIEROSOLYMITANO GODEFRIDI DE BULLON, DUCIS
ET MARCHIONIS LOTHARINGIAE ¹.

Bellum sacrum Hierosolymitanum.

Die 15 julii, anno 1099, liberatio civitatis Hierusalem de manibus Turcarum. Festum olim duplex cum octava usque dum vox solemnitatis versa est in planctum.

Anno siquidem 1095 Urbanus secundus, commotus a Petro Eremita, bellum statuit pro viribus Turcis inferre et Hierosolymorum urbem sanctam ex eorum manibus extorquere. Sed Italia et Germania, regis Henrici culpa, saevis tunc seditionum fluctibus jactabantur, et Hispani domesticum bellum contra Saracenorum reliquias prosequabantur. Quare Pontifex ex Roma ad Gallos, a quibus originem trahebat, venit, et in Claro Monte synodum habuit mense novembri. Erat ea valde celebris conventu totius prope Occidentis tam episcoporum quam principum, coram quibus Pontifex orationem habuit pro sacro bello Hierosolymitano luculentam et reipublicae utilem, quae apud Paulum Aemylum legitur, libro IV.

Unde passim tam nobiles quam ignobiles, in remissione peccatorum suorum et in Terrae Sanctae liberationem iter aggressuri, cruce se signarunt. Ex quo ipsa expeditio *Cruciata* est nuncupata.

Fuit tunc inter primos Godefridus, vir in usu armorum et exercitio militari, omnium judicio singularis. Nam Henricus imperator, in acie existens contra Rodulphum, pseudo-regem Saxonum, eum exercitus primicerium constituerat, ubi pseudo-regem per vitale pectus imperiali vexillo transverberavit.

Et quum idem Henricus Romam invaderet, Godefridus, per partem muri

¹ Vide op. cit. p. 83 et supra p. 21.

a se effractam primus irrumpens, ex multo labore in gravem incidit infirmitatem, a qua mox eum liberatum esse Antoninus et Naclerus scribunt emisso voto peregrinationis ad Terram Sanctam. *S. Antoninus, titulo XVI, cap. 1; Naclerus, Generatione XXXVII.*

Votum autem istud et iniquae sacrae potestatis oppugnationem principem bonum merito ad bellum sacrum, Urbano id publicante, exstimulavit.

Hinc castrum suum Buillon cum longe lateque diffuso territorio Leodiensi ecclesiae, majori gloria sua quam ementis, 1500 marchis argenti purissimi et tribus auri divendit.

A quo tempore Leodiensis episcopus se ducem vocat Bullionensem.

Imo, ut plenius dicam verbis divi Bernardi, quibus usus est in exhortatione ad Ludovicum juniorem, tria amplissima patrimonia, suum, fratris et matris, partim oppignoravit, partim distraxit, ut copias piorum ¹ plusquam pro virili aleret. Ita qui corruerat contra pontificiam potestatem militans major excitatus est, regnumque coeleste merendo inter nos etiam in terris nactus est.

Fuerunt autem qui ejus castris se adjunxerunt viri nobiles et perpetua memoria digni, Balduinus ejus frater, Balduinus de Montibus comes Hannoniensis, Hugo comes S. Pauli, Engelramus filius ejus, Garnerus comes de Grez, Balduinus de Burgoducis consanguineus, Henricus de Asscha, Godefridus frater ejus, Dodo de Conz, Cuno de Monte Acuto et alii plures.

Collegit autem optimus princeps in Antverpiensi suo marchionatu primitias hujus sacrae militiae, adscribens ibi duodecim primos viros in honorem duodecim Apostolorum. Sed et ecclesiam divi Michaelis multis donariis ditabat, commendans se et militiam dicto archangelo, principi ecclesiae. *Goropius, lib. I Originum Antverpiae.*

Similiter in comitatus Lovaniensis novo monasterio Affligemiensi, Hierosolymam abiturus, multa S. Petro donavit. Similiter et Ida mater ejus multa in Genapia sita donavit. *Anniversaria in Affligemio, XV kal. augustii et idibus aprilis.*

Porro sacrae legiones, post varias fortunas et multarum urbium occupationes, anno 1099, die septima junii, ad urbem sanctam et Deo amabilem Hierusalem castra metatae sunt.

¹ Huc forte respicit Molanus notans in ima ora folii 268 versi : « Quas Paulus Jovius scripsit ultra CCC millia voluntariorum militum excrevisse. » *Lib. I Hist.*

Quumque victus et aquae penuria laborarent, ex communi decreto indictae sunt litaniae, assumptis crucibus et sanctorum patrociniis, episcopi et clerus nudis pedibus populum subsequenter usque ad montem Oliveti praecesserunt.

Ubi Petrus Eremita et Arnulphus, familiaris comitis Nordmanni, populum exhortationis sermone ad longanimitatem animarunt.

Octava autem die humiliationis, obsidionis autem trigesima nona, eadem feria et hora, quibus Salvator ibi pro nostra salute mortem crucis subiit, urbs capta est idibus julii, eo die, ut legitur in epistola ducum belli, quo primitiva Ecclesia inde abjecta fuit, quumque festum de dispersione Apostolorum celebratur.

In ea epistola Godefridus dux, non aliter se nominans quam gratia Dei sancti Sepulcri advocatum, primus legitur, ponte ordinato, cum fratre suo Eustachio urbem ingressus. Quos continuo subsecuti sunt Ludolphus et Wilhelmus, uterini fratres, patria Tornacenses, post quos Flandrensium comes et Nordmannorum dux. *Exstat epistola in appendice Mariani Scoti.*

Porro post occupatam a se Hierusalem, octavo die unanimiter in regem est electus. Hunc enim Franci observabant, Germani suum dicebant, Itali colebant. Rejecit tamen cum nomine coronam auream, indignum arbitratus illic aureo diademate hominem uti, ubi Rex regum Christus spinam coronam pro redemptione humani generis tulisset.

Mox autem Deo primitias regiae suae potestatis obtulit, fundans claustrum et in eo dominici Sepulcri canonicos.

Dum autem ulterius victor pergit, verus Christi confessor centuplum accepturus, intra primum annum regni sui, per validam aegritudinem, viam universae carnis est ingressus XV kal. augusti, anno 1100.

Fuit vir religiosus, clemens, pius ac timens Deum, stabilis et serius in verbo, saeculi vanitates contemnens, quod in militari professione rarum est; in orationibus jugis, liberalitate insignis, affabilitate gratiosus, mansuetus, misericors et Deo placens.

Cui in regno Balduinus, comes Edissanus, frater ejus, electione successit.

Sepultus est, sicut et frater, in ecclesia dominici Sepulcri sub loco Calvariae, ubi humilis princeps habet epitaphium quod Andreas Thevet, sexto Cosmographiae suae libro, inseruit : « Hic jacet inclytus dux Gode-

froy, dux de Buillon, qui totam istam terram acquisivit cultu (*forte cultui*) christiano. Cujus anima regnat cum Christo. Amen.»

Multi hanc sacram historiam conscripserunt, sed nemo, ut mihi apparet, plenius et sincerius quam Wilhelmus archiepiscopus Tyrius, regni Hierosolymitani cancellarius.

CAPUT XVIII.

DE SACRA MILITIA GODEFRIDI DE LOVANO DUCIS ¹.

Contra Armenios.

Eo tempore quo Godefrido principatus Lovaniensis per mortem fratris cessit, cum Henrico filio imperatoris sub rege Armeniae captivus detinebatur, quos Oliverius de Leefdale, miles prudens et astutus, accessit et e captivitate liberatos reduxit. *Archiva oppidi Bruxellensis.*

Pro Terra Sancta.

Godefridus cum Barba, comes Lovaniensis, anno 1106 crucem cum Lotharingis et Francis pro Terra Sancta assumpsit. *Archiva oppidi Lovaniensis.*

Contra Tanchelinum haeresiarcham.

Anno 1115 Godefridus expulit ex suis terris Tanchelinum haereticum, qui multo tempore regnaverat apud Antverpiam et Lovanium. *Archiva oppidi Lovaniensis.*

Hic haereticus nimiae subtilitatis, quum tamen esset laicus, sed multis clericis disertis in sermone acutior, sacri ordinis ministros et episcopalem ac sacerdotalem gradum nihil esse dicebat; corporis et sanguinis Christi perceptionem sumentibus ad salutem prodesse negabat. In pretioso appa-

¹ Vide op. cit. p. 93 et supra p. 22.

ratu et vestibus deauratis incedens, verbis persuasibilibus et conviviorum apparatus, suos, qui eum circiter tria millia armati sequebantur, alliciebat, et per eos in resistentes sibi caedibus saeviebat. In tantum eum venerabantur, ut aquam, qua corpus lavisset, hiberent et pro reliquiis asportarent; quum tamen filias in matrum praesentia, sponsasque maritis intuentibus corrumperet, et hoc opus spirituale esse assereret. Qui tandem, post multos errores et multas caedes, dum navigaret, a quodam presbytero percussus in cerebro occubuit. *Robertus, Sigeberti continuator, anno 1124.*

Haec detestanda hominis impostura, etiam post mortem ejus, extirpari Antverpiae nullatenus potuit, licet duodecim clericorum congregatio ab episcopo in subsidium sacerdotis, qui solus erat in ecclesia sancti Michaëlis, instituta esset. Tum vero clerici, et caritate et evidente necessitate cogente, patri Norberto et fratribus ejus, per manum episcopi hanc ecclesiam, cum quibusdam redditibus dederunt, confidentes quod Deus meritis illius et fratrum mortiferae pestis auferret saevitiam. Et clerici in eodem oppido aliam sibi aedificaverunt. *Vita S. Norberti, cap. 34, ad diem 6 junii.*

Audientes ergo verbum fratrum et videntes opera, quidam compuncti viri et mulieres corpus dominicum, quod in cistis vel foraminibus per decem aut quindecim et eo amplius annos abdiderant, reportabant. *Ibidem.*

Eckbertus, abbas S. Florini in Schonaugia, scripsit sermones XIV contra Catharos haereticos, qui erant ex faecibus Tanchelini de Flandriae partibus. *Trithemius, in Chronico Hirsaugiae, ad annum 1163.*

CAPUT XIX.

DE MILITIA SACRA GODEFRIDI TERTII ¹.*Contra Saracenos.*

Anno 1183 dux Godefridus perrexit Hierusalem, et filius ejus Henricus miles effectus est. *Codex Parchensis.*

Ubi cruce signatus multa laude digna pro Christi nomine fecit. *Petrus a Thimo.*

¹ Vide op. cit. p. 96 et supra p. 23.

Antea, per auxiliares copias, Terram Sanctam juvisse videtur. Scribit enim Lazius Philippum Alsatum, Flandriae comitem priorem, in Terram Sanctam expeditionem fecisse anno 1178 contra Saracenos et Saladinum, accedentibus fidis auxiliis Hollandiae et Lovanii comitum. *Libro III de Gentium migrationibus.*

Militia Walteri Berthouts.

Ab hoc principe in bello Grimbergensi superatus est Walterus Bertholdus, primus ejus nominis dominus Grimbergensis et Mechliniensis, et Lovanii in captivitate detentus.

Qui postea, quum divus Bernardus abbas Leodii crucem contra infideles, mandato Eugenii pontificis, praedicaret anno 1146, licentiam obtinuit proficiscendi ad sacrum bellum, modo fratrem suum obsidem relinqueret.

Postea, propter fratrem obsidem rediens, quum in via cum obiisse intellexisset, Hierosolyman regressus est; sub Almerico rege in obsidione Damiatæ, quam veteres Heliopolin dixerunt, cum multorum luctu cecidit. Claruerat enim in variis stratagematibus militaribus per annos circiter viginti duos. *Chronicon Mechliniense* ¹.

CAPUT XX.

DE SACRA MILITIA HENRICI PRIMI ².

Contra schisma Leodiense.

Quum Simon et Albertus electi episcopi Leodienses se mutuo armis oppugnarent, Henricus cœgit utrumque Romam ire, ubi Pontifex Simonem cardinalem fecit et Albertum ad episcopatum remisit. *Ex cap. 67 Chronici Leodiensis.*

¹ In ima ora folii 270 recti notat Molanus : « Anno 1280 dux Godefridus perrexit cum archiepiscopo Coloniensi ad debellandum ducem Saxo-

niae. Henricus filius suus accepit uxorem. »

² Vide op. cit. p. 98 et supra p. 23.

Anno 1197 Henricus dux profectus est Hierusalem. *Codex Parchensis*. Cum Metensis urbis archiepiscopo Hierosolymam proficiscens, Christianorum adversus Turcarum gentem princeps declaratur. Hujus itaque ductu Baruth, civitas opulentissima, vi capta est, caede profligatis Turcis. *Barlandus, cap. 36*.

Berytum, Joppenque urbes recuperaverunt. *Meyerus, ad annum 1197¹*.

Contra Constantinopolim.

Nec multo post et hoc juvante Constantinopolis expugnatur. Quibus ita prospere gestis, magnam consecutus celebritatem nominis rediit in Brabantiam. *Barlandus, ibidem*. Id contigit anno 1200.

Pro recuperanda Hierosolyma.

Innocentius anno 1215 synodum centum triginta episcoporum Romae in ecclesia Lateranensi, recuperandae Hierosolymae gratia, celebravit. Unde Henricus dux Brabantiae cum aliis compluribus, praedicante crucem Joanne Scholastico Zanthensi, eam suscepit. *Trithemius, in Chronico Hirsauigiae*.

Pro pace Coloniensium.

Eodem anno Theodoricus, archiepiscopus Trevirensis, cooperante Henrico duce Brabantiae, cives Colonienses ad pacem et subjectionem Friderici regis juxta mandatum apostolicum reduxit, postquam per annum et menses quinque excommunicationi et interdicto subiacuerant. *Trithemius, ibidem*.

Contra Stadingos haereticos.

Postremam victoriam contra Stadingos habuit per principem filium, qui anno sequenti patri morienti in ducatu successit.

¹ In ima ora folii 279 versi Molanus hanc notam adscripsit : « Anno 1218 expugnavit Damiatam. Anno 1188 in Damiatæ expugnatione Henricus dux Brabantiae. *Chron. Brab.* »

Anno Domini 1234 Henricus, major filius Henrici ducis Lotharingiae, fecit victoriam contra haereticos de Stadingen, qui omnes consumpti sunt in ore gladii sexto kalendas junii, suffragante gratia Jesu Christi. *Codex Parchensis.*

Goswinus, dominus de Heverlis.

Claruit sub hoc duce Goswinus, dominus Heverlensis, de cujus consilio et adstipulatione praedictus dux in ejus fundo domum leprosorum construxit ¹. Hic Goswinus anno 1219 dedit huic domui leprosorum beatae Mariae de Banco literas suo sigillo roboratas, in quarum fine legitur: « In recessu nostro versus Hierusalem. »

CAPUT XXI.

DE SACRA MILITIA HENRICI II ².

Contra Stadingos haereticos.

Quarta nostri temporis crux contra Stadingos praedicata est, quos in Teutonia Henricus, dux Brabantiae, cum suis stravit. *Thomas Cantipratanus, libro II Apum, cap. 2.*

Erant autem Stadingi populi palustres, ad fluviorum ripas in archiepiscopatu Bremensi accolentes, qui libertate Ecclesiae conculcata nulli parcebant sexui vel aetati, responsa daemonum quaerebant, erroneae Pythonissae consulebant, et viaticum salutis aeternae horribilius quam deceat exprimi pertractabant, religiosos et clericos impie tormentis lacerabant, et quos poterant maxime infinitam rusticorum multitudinem in foveam suae perfidiae trahebant. *Crantzius, in Metropoli Hamburgensi libro VII, cap. 47.*

Quae quum Gregorio IX per varios episcopos innotuissent, contra eos, tanquam infideles, crucem jussit praedicari. *Idem.*

Quam mox Henricus Brabantiae dux et Florentius comes Hollandiae,

¹ Vide supra p. 527.

² Vide op. cit. p. 100 et supra p. 24.

multique eorum subditi hilariter susceperunt amore religionis et plenariae indulgentiae.

Quumque divinae patientiae invasores, qui eis ut furibundi canes ordinata acie obviam processerunt, in virtute Domini Sabaoth invaderent, eos hastis, gladiis ac equorum pedibus ita oppresserunt, ut brevi spatio sex millia ex eis interirent, plurimi fugientes in foveis et Wisera sint submersi. *Crantzius.*

Intererant autem huic sacro bello Theodoricus comes Cliviae, ex Flandris, Wilhelmus dominus Bethunia, Arnoldus dominus Aldenardae, aliique in Flandriae Annalibus nominati. Joannes Iperius, abbas S. Bertini, scribit Hollandiae comitem secum habuisse trecentas naves.

Aderat et clerus, eminus pro crucis victoria supplicans.

Ex exercitu Dei ceciderunt Henricus comes de Oldenborg, et cum eo peregrini novem.

CAPUT XXII.

DE FRANCONI, QUI EX SACRA MILITIA TRANSIT AD ORDINEM
CISTERCIENSEM IN VILLARIA.

Circa haec tempora claruit in comitatu Lovaniensi Franco de Arkenna, ex milite monachus Villariensis; de quo legitur in chronico Villariae :

Quidam miles inclytus, ortu Brabantinus,
Franco dictus nomine, corde leoninus,
Pro fide catholica volens praeliari,
Armis militaribus fuit adornatus,
Equis et divitiis satis sublimatus,
Et praeclara militum turba constipatus.

Et cum suis sociis terram subintravit,
In qua Christus dominus mortem toleravit.
In congressu praelii audax et severus,
Et cum eo pariter dominus Sigerus.
Huic Franconi filii gemini fuerunt,
Qui cum ipso pariter mare transierunt,
Et in armis bellicis valde floruerunt;
Sed pro Christi nomine post occubuerunt.

Tandem Franco inelytus, dignus collaudari,
 Luxum spernens saeculi, factus in Villari
 Monachus, sub habitu vixit regulari,
 Ultra modum placidus, dulcis et benignus :
 Ob aetatis senium candidus ut cygnus,
 Blandus et affabilis, ac amari dignus,
 In se Sancti Spiritus possidebat pignus.

CAPUT XXIII.

DE SACRA MILITIA HENRICI III¹.

Henricus III inter principes sui temporis sanguinis nobilitate praeclarus, qui suae nobilitatis lineam moribus atque virtutibus clariorem effecit, ad subsidium Terrae Sanctae cruce signatus, antequam proficisceretur morte praeventus in juventute florida et in bona confessione Lovanii obiit anno 1260 pridie kal. martii. *Petrus a Thimo.*

CAPUT XXIV.

DE SACRA MILITIA JOANNIS I².*Contra Worong.*

Joannes dux, benigne annuens precibus comitis Montensis, Walrami comitis Juliacensis et civium Coloniensium, obsedit Woringiam, pessimum diaboli nidum. Unde negotiatoribus et peregrinis a praedonibus, qui illic morabantur, multo tempore plurima damna inferebantur.

Archiepiscopus Coloniensis Sifretertus, sub quo locus erat constitutus, anno 1288, die 2 junii, cum horrendo exercitu, qui contra paganismum videbatur posse sufficere, aderat. Attulerunt etiam compedes, manicas et funes, quibus Brabantinos captivos vincirent.

¹ Vide op. cit. p. 102.² Ibid. p. 103 et supra 28.

Dux, quamvis illi decem homines contra unum haberent, obviam eis perrexit in campum, et acerrime ab utraque parte pugnatum est. Sed et ipse dux, quasi unus de Machabaeis, supra modum magnifice se habuit, et post longum conflictum victoriam adeptus est, captis archiepiscopo, comite Geldriae, domino de Valckenborg, comite Mursensi, comite de Nassau, qui postmodum imperator fuit, et multis aliis nobilibus et militibus.

Ex parte ducis pauci corruerunt. Quorum principales fuerunt Walterus Berthout dominus Mechliniae, et Arnoldus de Zeelheem, homo probus moribusque compositus.

Destructa ergo Woringia, reversi sunt in Brabantiam, cum magna gratiarum actione magnificantes Deum. *Chronicon Brabantiae.*

Contra Petrum, regem Arragonum.

Siculi impatientes libidinis et insolentiae Gallorum, conjuratione facta, anno 1282, die Paschae, ad pulsum campanarum, quae convocabant ad vespas, omnes Gallos una cum uxoribus etiam gravidis contrucidarunt. Unde proverbium: *Vesperae Sicilianae. Æmilius, libro VII.*

Deficiunt Siculi ad Petrum Tarraconensem, regem Arragonum, qui propterea a Nicolao III sacris proscribitur, et hostis ecclesiae judicatur. *Æmilius, Platina, Blondus.*

Mox Philippus rex Francorum, Joannes dux Brabantiae et frater ejus Godefridus de Virson, praedicata cruce, contra Petrum Arragoniae regem profecti sunt. *Chronica Brabantiae Teutonica.*

Joannes dux eo profectus est jussu pontificis, etsi bellum haberet contra Geldrum et Leodiensem episcopum. Cui bello praefecit Walterum Berthout, cancellarium, quartum ejus nominis dominum Mechliniensem. In hac profectioe multi nobiles Brabantiae et Mechliniae moriebantur. Rex obiit, et dux rediit aegrotus. *Chronicon Mechliniense MS.*

CAPUT XXV.

DE BELLO GENAPIENSI JOANNIS II PRO JUDAEIS ¹.

Joannis II tempore multi populares inconsulte, nec praedicata cruce, nec ducem habentes, conspiraverunt ire ad Terram Sanctam contra infideles. Hi in via Judaeos, quoscumque invenerunt, neci tradiderunt. Quapropter dux castrum Genapiense Judaeis concessit, quatenus se in eo tutarent. Sed capitosus et temerarius populus statim Genapiam obsidione vallavit. Quumque precibus et monitionibus ducis non moverentur ad recedendum, personaliter ad eos ivit, quumque rationi acquiescere nollent, compulsus est cum eis bellare, et habito conflictu, nonnullis caesis, reliqui se per fugam exemerunt. *Chronica Brabantiae.*

CAPUT XXVI.

DE SACRA MILITIA CONTRA PRUTHENOS ².

Anno 1355 Joannes, comes Namurcensis, cum fratribus Guidone et Philippo, et cum ingenti societate nobilium, propter Deum et salutem animae suae secessit in Prusciam supra Saracenos. *Chronicon Leodiense.*

Wilhelmus de Rode.

In ea militia multum claruit Wilhelmus de Rode, ex prima nobilitate, patricius Lovaniensis. In cujus saxo legitur ad Praedicatoros ³:

Miles Wilhelme de Rode, mors sepelivit.
Te, cujus multas acies audacia fregit,
Tu vice ter sena Pruscos insignis adisti,
Et semel ad Christi tumultum propria sub habena.

¹ Vide op. cit. p. 105.² Ibid.³ Lovanii.

CAPUT XXVII.

DE SACRA MILITIA WENCESLAI ¹.*Contra sectam Jacques Bon-homme.*

Circa annum 1364 surrexit in Sabaudia et Gallia pessima societas hominum plusquam centum millium, qui venundati erant, ut facerent malum. Eratque eis propositum nobilitatem exterminare. Inter Ligerim et Sequanam omnia vastabant, ut nulli in villis et agris remanere auderent. Constituerunt supra se regem hominem pessimum, quem *Jacobum bonum hominem* vocabant. Incendiis, caedibus, rapinis omnia implebant. Matronarum ab his ereptus est pudor. Accidit quod militem, vidente domina uxore sua ac liberis, in veru quasi anserem vel caponem assaverint. Post haec voluerunt eam et liberos de tam execrabili assatura manducare. Nec mora, eam cum liberis nolentes occiderunt.

Verumtamen, Deo miserante, quamplurimus eorum numerus extinctus est apud Meldas in Bria. Rex Navarrae nefandas eorum copias prostravit, ac regem ipsorum *Jacques Bon-homme* cepit. Qui primo excoriatus, deinde suspensus est.

Reliqua eorum multitudo versus Teutonium perrexit, ubi etiam resistenciam invenerunt. Nam Wenceslaus dux cum sua militia, dux Barrensis, dux Lotharingiae ac plures alii nobiles iverunt contra eos, ac pugna conserta superaverunt, et in nihil redactus est omnis conatus eorum. *Chronicon Brabantiae* ².

De his Gaguinus scribit libro IX, Massaeus libro XVIII et Trithemius in chronico Hirsaugiae, ad annum 1362.

Contra Heimersbach.

Duce in Brabantia commorante, venerunt ad eum crebrae et frequentes querelae, quod in castro Heimersbach morabantur ruteri ³, qui mercatores

¹ Vide op. cit. p. 106.

² Seu *Reiteri*, a *Reiter*, *Ritter*, miles, eques.

³ Cfr. *Dynteri chronicon*, t. III, p. 86.

Brabantiae ac caeterarum partium inhumaniter spoliabant ac male tractabant, et vias publicas bonis hominibus, ne cum mercibus transire possent, impediabant. Tunc dux videns se salvo timore Dei non posse hoc dissimulare congregavit electam multitudinem belligeratorum, et ocius illuc perrexit. Munitio pertinebat ad Fustradum de Merode, qui adhuc annos pueritiae ferebat; cujus tutores illic tales hospites receptabant. Dux ergo gravi hanc obsidione vallabat, assiduis assultibus impugnabat, et violenter captum diaboli nidum usque ad solum destrui fecit, et reversus est in terram suam cum pace. *Chronicon Brabantiae* ¹.

Heimersbach et Stelenborgh, et alia castra raptorum ultra Mosam destruxit. *Petrus a Thimo*.

CAPUT XXVIII.

DE SACRA MILITIA JOANNIS BURGUNDI, QUI FRATRI SUO ANTONIO
IN DUCATU CESSIT ².

Contra Turcas ad Nicopolim.

Quum Sigismundo regi Hungariae necesse fuit expeditionem contra Pazaitem ³ Turcam suscipere, habuit voluntarios belli socios ex Gallia Angliaque plurimos illustri loco natos.

Tum Philippus Audax, dux Burgundionum, qui Carolo VI rege phrenetico, instar regis erat, Gallis praefecit filium suum Joannem juvenem annorum circiter viginti quinque, praeclarae indolis et omni nobilitati gratissimum.

Caeterum, dum ad Nicopolim Galli primam aciem sibi expetunt avidius, inchoato bello priusquam omnis acies explicaretur, turpiter succubuerunt, quamquam plures ex barbaris quam ex nostris ceciderint in ea pugna anno 1396, IV kal. octobris.

¹ Vide Dynterum, tom. III p. 88.

tiae, p. 108.

² Vide Molani *Militiam sacram ducum Braban-*

³ Seu *Baiazetem*.

Capti hic fuere nobiles plus minus trecenti, qui foedis mortibus a tyranno necati sunt, inter quos Henricus Antoniensus. Joannes vero Burgundio cum aliis viginti quinque nobilibus aegre redemptus est, ducentis millibus ducatorum, fide et virtute Joannis Helliaci, equitis Atrebatis, qui paulo ante Pazaitae fuerat minister. Ad quam redemptionem Gandavenses quinquaginta millia florenorum contulerunt. Hactenus ex Meyero, reliqua apud eum et alios scriptores obvia sunt.

CAPUT XXIX.

DE SACRA MILITIA CONTRA HUSSITAS.

Cardinalis Placentinus anno 1421 Lovanii crucem contra Hussitas in tribus concionibus praedicavit, et ad sacrum bellum contra Pragenses excitavit Lovanienses centum et sexaginta, nec non sexaginta equites. *Archiva oppidi.*

Absolvuntur a peregrinatione centum octoginta.

« Archiepiscopus Coloniensis, dux Westphaliae, etc., universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam. Quum devoti et catholici viri Petrus Ballinck, presbyter, et Matthias Van den Enden et eorum consodales usque ad numerum centum et octuaginta, oriundi de Lovandia in Brabantia, intima devotione moti pro animarum tam suarum quam eos mittentium salute, cum debita reverentia gloriosum signum salutiferae crucis humiliter et devote susceperint, causa resistendi, una cum aliis Christicolis, Wiclevitis et Hussitis, ad honorem Dei et defensionem Ecclesiae sanctae conservationemque fidei orthodoxae: nos considerantes longitudinem difficultatemque itineris, atque frigidam et pluviosam auram instantis hiemis, nec non defectum aliquorum in pecunia, propter quem diutius apud nos commode permanere non poterant, antedictos viros a peregrinatione hujusmodi ad propria redeundi licentiamus. In cujus testimonium signetum nostrum praesentibus est appensum. Datum in campo apud Sante, anno Domini 1421, quinta feria post beati Remigii episcopi. »

CAPUT XXX.

DE SACRA MILITIA PHILIPPI BONI ¹.*Ordo Aurei Velleris.*

Philippus, cognomento Bonus, Burgundiae et Brabantiae dux, instituit anno 1429 senatum ordinis equestris, qui a donatione Aurei Velleris magnificentum nomen est sortitus. Instituit autem hanc viginti quatuor heroum societatem ad catholicae fidei defensionem. Unde in ejus epitaphio legitur:

Tuta a nobilibus quo Ecclesia firmior esset,
Nobilis inventus Velleris ordo mihi est.

Et in alio epitaphio :

Defensionem Ecclesiae delegimus
Insigne Vellus Aureum nostro ordini.

Contra Turcas, sub Nicolao V et Callisto III.

Unus mihi videtur supra omnes commendandus princeps Philippus, Burgundiae dux, qui etsi Britannico bello implicatus, vocatus tamen ad conventum, qui pro salute populi christiani erat indictus, noluit excusari, noluit rei publicae deesse. Congregationem, quae commune bonum tractare videbatur, noluit sua praesentia esse privatam. Venit igitur Ratisbonam, iturumque se contra Turcas in persona propria pollicitus est, si vel Caesar vel rex Hungariae vel alius magnus principem exercitum duceret. Sin minus missurum se, quas posset, copias. Neque in hisce rebus excusatum se habere voluit, nisi tale superveniret impedimentum, quod tota christianitas legitimum reputaret. Quis hunc satis commendare principem potest? Nemo est inter christianos, cui minus timendi sunt Turcae et infideles quam dux Burgundiae; nemo tamen est, qui pro depulsandis atque comprimendis hostibus fidei sollicitior eo reperiatur. Unde ista mens homini? Non cupido rapiendi

¹ Vide op. cit. p. 111.

hunc trahit, cui opes sunt infinitae. Non spes ulla voluptatum quibus frui victores putant, qui jam aevo est provector. Et si delicias amat, nusquam majores quam domi reperiat. Non augendi domini ratio, qui se novit in Graecia aut Asia nequaquam regnare posse. Sed est hic religiosus princeps, amat Ecclesiam matrem suam, cupit fidei nostrae consultum esse; dolet, quum audit nomen Domini blasphemari; miseretur infelicibus animabus, quae diutius in captivitatem a barbaris rapiuntur; pudet enim ignominiae, quam Turcae nobis inferunt. Est enim nobilis animus. Non potest mens alto sanguine nata non alta meditari. Nihil turpe ferre potest generosus spiritus. Videt se dono Dei amplissimis et populosissimis regionibus praefectum multisque beneficiis cumulatum. Non vult ingratus videri. Recognoscit munera in se divina quamplurima, vult pro sua facultate vices reddere. Meminit Joannis patris sui, quem Turcae pugnantes pro fide catholica captivarunt. Cupit ulcisci paternum vulnus, imitarique majorum suorum vestigia, quos pro fide orthodoxa constat fuisse ardentissimos. *Aeneas Sylvius, episcopus Senensis, anno 1454, 5 julii, epistola 127.*

Contra Turcas, sub Pio II.

Studio juvandi Christiani nominis,
 Nostras triremes misimus papae Pio;
 Ducto meo bellum paravi barbaris,
 Sed obstitit mors, quae potens regnat nimis. (*Epitaphium.*)

Anno 1465 paratur expeditio in Turcas per Pium pontificem Romanum, cui misit auxilio Philippus dux Antonium filium suum naturalem. Verum pontifex, progressus Anconam ibidemque diem suum claudens, coeptam morte sua turbavit infectamque reddidit expeditionem. *Heda.*

Antonius dominus erat Veranus, unde prognati deinceps toparchae Verani. *Meyerus.*

Quem Magnum Bastardum vulgo nominabant. *Goropius, libro VII de Antverpia.*

Pii literis acceptis, princeps non distulit, quantum potuit, militiam ex omnibus provinciis suis convocare, cum instructo exercitu ipse haud dubie profecturus, nisi partim senio praepeditus, partim aliis implicitus

malis domi manere coactus fuisset. Emisit igitur Antonium nothum suum, ingenti animo ac fortitudine virum, qui copias duceret. *Barlandus, cap. C.*

Is ex Brabantia profectus, quum in Gallias venisset, longius procedere non est ausus propter ostensas sibi literas, quibus inerat jussisse patrem Philippum, ut interficeretur. Hae literae, ut postea compertum est, non a patre, cui unice carus erat, sed ab hujus consiliariis aliquot scriptae fuerant in gratiam Ludovici Gallorum regis, cui soli cum pontifice parum conveniebat. *Barlandus, ibidem.*

Pius II per acres literas hortatur dilectum filium, nobilem virum Philippum ducem Burgundiae, ut voto et promissis satisfaciat, ac in expeditionem contra Turcas, immanemque belluam Mahometem, christianum sanguinem sine fine sitientem, secum proficiscatur. Ex rumore enim intellexerat nobilitatem ejus mutato consilio domi remansuram et certum numerum bellatorum, qui vicem ejus impleant, missuram. *Epistola 382.*

CAPUT XXXI.

DE SACRA MILITIA MAXIMILIANI IMPERATORIS ¹.

Contra Turcas.

Maximilianus ex Croatia fugavit Turcarum exercitus. *Barlandus, ad annum 1493.*

In Mahometigenas deduxit et agmina Turcas,
A quibus affectus clade Liburnus erat. (*Joan. Ramus.*)

Quintum bellum absens per suos in Carniola et Windorum Marcha adversus Turcas administravit; qui facta incursione anno 1492 misere Carniolam, Ciliensem ditionem, Carinthiam ac Styriam depopulati fuerant. Quo in bello Georgii ab Herberstein virtus enituit. *Lazius, libro II Commentariorum genealogiae Austriacae.*

Ejus pater Fridericus imperator bellum gessit contra Gallos, eorumque

¹ Vide op. cit. p. 115.

colluviem, qui Armeniaci dicebantur, ut synodum Basiliensem turbarent, a Franciae rege emissi, anno 1444. *Lazius, eodem libro.*

Maximilianus Lancigerorum, hoc est peditum Germanorum militiam orbi primus invexit. *Lazius, ibidem.*

CAPUT XXXII.

DE SACRIS BELLIS CAROLI V IMPERATORIS ¹.*Contra Marrhanos.*

Anno 1518 Carolus, Hispaniarum rex, magnas eduxit copias adversus Marrhanos, et expugnato ex munitissimis eorum oppidis uno, plus minus quadraginta Barbarorum millia prostravit, ex praeda hujus victoriae duo pretiosissima vexilla Caesari Maximiliano, avo suo paterno, transmittens. *Surius.*

Bellum Rusticorum in Germania.

In Germania anno 1525 gravissimum exortum est bellum, quod vulgo bellum popolare seu Rusticorum vocabatur. Caesar tumultus occasiones ex immutata per Lutherum religione enatas sentiens, varias ad varios principes de illo bello restinguendo literas dedit. Atque ita septem in locis diversisque septem certaminibus, intra quadraginta dies, centum et quadraginta millia Germanorum a septem caesariano sacramento adstrictis copiarum ducibus eo bello caesa referebantur. *Zenocarus, libro I de vita Caroli.*

Thomas Muncerus, presbyter, homo importunissimus et audacissimus, ex scriptis Lutheri hausta occasione, Rusticorum turbam ad seditiones concitavit, et primo in clerum mox in principes inflammavit. Itaque ad inauspicatam libertatem adspirantes multa nefarie et scelerate admiserunt, per summam crudelitatem occiso, praeter alios nobiles viros, Ludovico comite Helvesteno, qui in matrimonio habebat Maximiliani Caesaris filiam notham,

¹ Vide op. cit. p. 446.

incensisque in Franconia ducentis et eo amplius arcibus et monasteriis.
Surius.

Dicebat inter alia Muncerus se omnes bombardarum ictus sua manica excepturum. Sed ille non diu post captus Francusii, fertur ex animo errores revocasse, et praemissa confessione, et accepta sub altera specie communione eucharistiae, gladio percussus, ex hac luce migravisse. *Idem.*

Phiferus, monachus apostata, Munceri vicarius, diabolice obduratus, sine confessione et contritione, tanquam bestia, ictum gladii suscipere quam peccatum agnoscere maluit.

Bellum Viennense.

Solimannus, Turcarum dominus, tercentum ad Viennam Austriae metropolim obsidendam millia hominum adduxerat. Ei per suas fratrisque Ferdinandi regis copias sic resisti curavit Caesar, ut cum magna clade suorum anno aevi nostri XXIX Byzantium reverterit. *Zenocarus.*

Locis aliquot patefactis, audacissime in urbem irruentes tanta vi Germanorum repulsi sunt, singulari Dei benignitate, ut in toto hoc bello e Turcis ad octoginta millia periisse ferantur, tandemque cum dedecore et ignominia coactus sit Solimannus obsidionem solvere et in Thraciam re infecta abire. *Surius.*

Sub Turcarum adventum jussi erant urbem excedere feminae, pueri, sacerdotes, monachi et omnis imbellis turba. At, quod summe dolendum est, ii magna ex parte in immanes barbaros inciderunt, qui infantes secuerunt medios, feminas et senes, quos in servitatem nollent abducere, partim palis infixerunt, veribus transfoderunt, gladiis disciderunt. Feruntur in ea Turcicae vastitatis procella supra sexaginta millia Germanorum in servitatem rapta. *Idem.*

Solimannus anno 1529 per confinia Croatiae et Styriae Viennam contendens, tantam subito ex locis Christianorum praedam fecit, ut ad triginta fere captivorum millia, priusquam ad conspectum Austriae pervenisset, ab eo in servitatem redacta tenerentur. *Joannes Ramus.*

De hostium numero, etsi dissentiant opiniones, vulgatus tamen creditum est Turcarum amplius quam ducenta et quinquaginta millia ea expeditione fuisse. *Idem.*

Bellum Pannonicum, anno 1532.

Solimannus tertio post anno ad Viennensem obsidionem, Austriaeque et Germaniae excisionem, cum duplo majoribus quam antea copiis rediens, rem totam Germanicam de salute sua, si Turca vinceret, periclitantem, magno metu perculit. Sed Caesar adversus eum cum maximo ex Belgica exercitu, ubi tum erat, progrediens, prima illic militiae suae arma induit. Quod Christiani principes in Christianorum principum monarcha summopere omnes cum annotarunt tum laudarunt.

Id autem bellum sic Caesar confecit, ut Solimannum, magna strage edita, ab Austriae Germaniaeque finibus quam longissime submoverit. Ac ob id Germani illum conservatorem Germaniae vocaverunt.

In hoc bello quatuordecim illustres Velleris aurei equites se supra caeteros mortales gloria et praedicatione extulerunt. *Zenocarus.*

Bellum Peloponnesiacum.

Ad bellum Graecum, quod Peloponnesiacum, ut Turcis majorem terrorem incuteret, cum valida classe Andream Auriam, Melfis principem, Caesar eodem tempore misit. Et is quidem ad Patras, Methonem et Coronem Caesaris trophaea magnis adepta victoriis erexit, Coronemque, enectis Turcis, juris Caesarei efficiens, latissime terrorem armorum Caesaris per totam Graeciam circumtulit.

Ob hanc victoriam Graeci Caesarem suum liberatorem appellavere, vota pro ejus imperio et monarchia publice ad Christum et passim fecere. *Zenocarus.*

Bellum Anabaptistarum Monasterii.

Successit anno 1534 bellum Monasteriense in Westphalia, quod Anabaptistarum furore rex receptus sartor Leidanus excitavit. Sed civitas Caesaris edicto armis circumscissa est, et post longam annalemque obsidionem vi tandem expugnata veteri religioni est restituta. *Zenocarus.*

Pulsi Anabaptistae ex aliis Germaniae locis in Westphaliam, Frisiam, Hollandiam et vicinas gentes se dispersere. Monasterium, gentis Westphalicae caput, velut asyllum concordibus animis elegere. Et recepti sunt a civibus clam magistratu. Duos menses et plus eo animos mortalium promiscuos ubi infecissent, in millia aliquot succreverunt. Senatus qui in hoc reipublicae statu diu dormierat, quum senatus-consultis et sanctionibus pestem urbe pellere conatur, ipse ab inconditorum hominum colluvie ejicitur. *Hortensius, de Anabaptistis.*

Monasterienses tandem gravissima obsidione eo redacti sunt, ut mures et glires in deliciis habuerint, corioque et pellibus contusis et coctis panis loco uterentur, rege interim, non ad necessitatem modo sed etiam ad luxum rebus omnibus abundante. *Surius.*

Urbe occupata, Joannes Bocolodus rex, annos natus viginti sex, captus ignitis laminis toto corpore excarnificatur ac ferreo aviario inclusus, ut apud posteros memorabilis tragoediae monumentum sempiternum exstaret, e summa divi Lamberti turri suspenditur. *Hortensius et alii.*

Occuparunt Anabaptistae, circa eadem tempora, ad Bolsuerdam velus monasterium. Sed Frisiae praefectus Georgius Scenkus, vir praeter alias virtutes militari gloria clarus, carus ob id acceptusque Carolo imperatori, celeriter ex urbibus et agris contractis copiis, eos priusquam nova colluvie auferentur, castris positus obsedit et pertinaces intra angustias oppressit. *Hortensius.*

Tentarunt etiam Amstelredamum; sed industria consulum et gubernatorum civitas a vastatione et servata et vindicata est. *Idem.*

Bellum Carthaginiense.

Monasteriense bellum excepit Carthaginiense, quod Libycum sive Tunetanum dicitur. Ac Caesar, ut adversus Turcas et christianae fidei hostes rursus arma indueret, contracta ter centum et quadraginta navium undique classe, ex Hispaniis in Goletanum Africae littus navigavit anno saeculi et actatis suae trigesimo quinto. Goletum arcem portumque, post faustas quasdam cum barbaris dimicationes factas, vi illata cepit.

Hinc Tunetum, regiam Libyae et Numidarum urbem, totiusque illius

Africani littoris metropolim obsidere perrexit. Sed Ænobarbus, Barbarossa vulgo dictus, ostenta prius pugnandi summa alacritate, Caesaris adventantis aciebus profligatus, cum his centum millibus peditum, sedecim millibus equitum propulsus profugit.

Itaque Caesar Muleassem Tunetanis regem dedit, regnumque ipsum sibi beneficiarium et vectigale, Christianis autem omnibus amicum fecit.

Ter septem millia Christianorum illic veteribus vinculis mancipatorum libertate donavit.

Ob hanc victoriam a multis Italiae Siciliaeque civitatibus per eas transiens Caesar, et ab ipsis senatoribus et civibus Romanis tertius Africanus publice est appellatus.

Ac ipse quidem bellum illud Africanum vicinis undequaque regibus, aut metu aut foedere domitis, et ejectis ex mari piratis, quadraginta diebus totum absolverat.

Illustres Velleris Aurei equites, Auriae¹ duo, Gonzaga, Vastius, Albanus, Bossuus, Pratus, famam hoc bello celebrem nacti sunt. *Zenocarus.*

Exstat diarium expeditionis Tunetanae a Carolo anno 1558 susceptae, auctore Joanne Etropio.

Bellum Mexicanum et Peruacum.

Interea temporis, dum civilibus bellis concussus Christianorum orbis Caesaris clementiam patientiamque experitur, una se re Carolus consolabatur, quod inter tribunos suos Ferdinandus Cortesius in regno Mexicano et Franciscus Pizarus in regno Peruaco ingentibus terrarum novarum vastitatibus repertis, octodecim reges et provincias octodecim acerrimis praeliis devicissent, omnesque et reges et regna non solum imperio suo subditi sed etiam christiana pietate imbuti essent. *Zenocarus.*

Bellum Corfiniense et Epiroticum.

Solimannus existimans Caroli et Francisci bella suis bellis gerendis utilissima fore, ad ea per multos incensus in maris Adriatici fines Corfinium

¹ Seu *Doriae.*

venit. Sed Andreas et Antonius Auriæ, in duodecim triremes Callipoli venientes et adhuc prius in undecim alias naves ex Alcaïco progressas uterque incidens, omnes illas militariter excepit ac hostiliter tractavit cepitque.

Dum in Epiro Turca versatus summam Caesari et Venetis perniciem moliretur, ita illi in Epiro et ad Corfinium ab eo obsessum Caesar resisti curavit, ut cum summa suorum laude Turca exercitusque ejus abierint.

Marcus Grimanus et Vincentius Capellus, ille pontificis Pauli tertii, hic Venetorum in exercitu legatus, praeclaram hoc in bello Caesari et rei publicae et communi Italiae saluti operam praestiterunt. *Zenocarus.*

Bellum Dalmaticum.

Haud procul ab Epidaurò, anno sequente, mense octobri, gestum est bellum Dalmaticum ad Castrum Novum, quod cum duabus munitissimis arcibus Andreas Auria et Ferdinandus Gonzaga, Caesaris jussu, ceperunt et expugnarunt. Multi Turcae, sicut anno priore ad Corfinium, hic quoque per Caesarianos ad mortem adacli fuerunt.

Caesar quum ad reliquarum rerum in Graecia et Asia perficiendarum curam se componebat, et multas naves ex Belgica sua evocabat anno proximo; inter ea mors imperatricis ex puerperio defunctae, et mors Andree Gritti Venetiarum ducis et inopia frumenti in locis maritimis interveniens, curas Caesaris graviores et duriores effecit. *Zenocarus.*

Bellum Algerense.

Quum Caesar comparata classe mense octobri in Africa ad Algeram anchoras figeret, ac legionem Italicam, Hispanicam et Germanicam in Mauritaniam exposuisset, tanta coorta est tempestas, ut magna pars classis collisa in oculis Caesaris submergeretur.

Hac Dei ira animadversa, Caesar, sumpta sacra synaxi, se cum Deo reconciliavit, idem toti exercitui imperans.

Cum Mauris et Turcis asperrime manus semel atque iterum conseruit. Algerum ducibus et militibus facillimum expugnatu videbatur. Sed non

conquiescentibus ventorum iris, Caesar militem ad naves progredi jussit. Receptis ad naves uno tempore contra hostes et tempestates erat dimicandum.

Publice sparsa fama fuit Caesarem illic undis absorptum fuisse. Sed Villaganon, eques Rhodiensis (cujus vitam Carolus servarat) perscriptis quas ad Algeram Caesar gesserat rebus, famae apud Gallos de morte Caesaris percrebrescentis auctoritatem minuit.

Milites passim incolumitati restituti canebant, alibi Carolus agmina, Algerae sese et aera et maria vicit. *Zenocarus.*

Nicolaus Villaganon, eques Rhodiensis, descripsit Caroli V expeditionem ad Algeram.

Bellum Pannonicum.

Quum Gallus Perpinianum obsideret, et ex lateribus Belgicam penetrare satageret, Caesar in Pannoniam cum Germaniae totius assensu et stipendio misit Joachimum Brandenburgensem electorem. Sed quum sua auxilia, Gallico bello praeventus, adjungere non posset, multo minus ipse adesse, exspectatum in bello inferendo finem non est consecutus, nimis abundanter copiis Turcarum ad obsidionem Budensium dirimendam supervenientibus. Attamen illa, quae praesidiis Ferdinandi regis oppida abtenebantur, conservavit.

Vastius, rejecto ab arcis Nicenae expugnatione Ænobarbo, Turcici maris praefecto, non inanem rei publicae et Caesari operam impendit.

Bellum Smalcaldicum.

Anno aetatis Caesareae et aevi nostri XLVI Joannes Fredericus Saxoniae dux, Philippus lantgravius Hassiae, Udalricus Wirtenbergensium dux, multique Germaniae principes et civitates, Carolo in causa religionis parere nolentes, subito ante eum ad arma concurrunt. Caesar suas quoque copias collegit, fortissimaeque Albani ducis et comitis Burenii eo in bello opera usus, Smalcaldici foederis socialem potentissimum exercitum, in quo per sex menses centum et viginti millia hostium a Caesare, propinquis castris, cernebantur, industria et sapientia sua militari fregit et de-

vicit, omnesque Germaniae principes, clementia sua usus, veteri et libertati et amicitiae suae restituit. *Zenocarus.*

Bellum Saxonicum.

Joannes Fredericus, Saxoniae dux, Caesarem in Saxoniam pertraxit. At cum illo confligens Carolus, quum Albim vado transisset, illum in praelio, omnibus ejus copiis profligatis, cepit.

Subacta Saxonia tota et duce capto, ac lantgravio Hassiae Philippo se dedente, reliqua erat Parthenopolis, quae Magdenburgum vocatur. Haec igitur, jubente Caesare, obsessa et postea deditiois condiciones admittens finem belli attulit. *Zenocarus.*

Bellum Aphrodisiacum.

Postquam Caesar filium Philippum ex Hispaniis in Italiam, Germaniam et Belgicam evocasset, mandat Andreae Auriae Melphitano principi et Joanni Vegae Siciliae proregi, ut Aphrodisium (a nostris Africam dictum) in littore Africano aggrediatur, ac ut vicina illi oppida in potestatem redigant.

Id ut imperatum, ita factum est. Ac Dragutes, piratarum Turcicorum maximus, ex illis speculis ope Caesaris deturbatus fuit, totumque mare, devictis archipiratis, pacatum est. *Zenocarus.*

Joannes Christophorus Calvetus Stella conscripsit commentarium de Aphrodisio expugnato, quem Ludovico Avilae, militiae Alcantarensis praefecto, dedicavit.

CAPUT XXXIII.

BELLUM LOVANIENSE CONTRA ROSSEMIUM.

Inter sacra bella merito referenda est defensio urbis et Almae Universitatis contra Martini Rossemii exercitum. Eam enim non nostris meritis,

sed Dei beneficio miraculose partam esse, per annuam processionem Alma Universitas protestatur dominica prima augusti.

Qualis Waelhem, qualis Duffel est, quae loca nemo sine lacrymis aut gemitu intuetur, talis Lovaniensis civitas fuisset. *Nannius, de obsidione urbis.*

Quum ager Brabantinus vastaretur, nemo se obviam dare ausus fuit. Octo cohortes et quinque centuriae equitum, quum propius hostilia castra ducerentur, tamquam pulli a milvo rapti, multis caesis, plurimis captis, ingentem cladem acceperunt. Antverpia firmissimis praesidiis vix a metu recreari potuit. Ars Hochstratana, antea inexpugnabilis habita, hostem vidit, et in deditionem venit. Jam duobus fluminibus trajectis, hostis magnis itineribus Lovanium contendit, quo auxilia nobis destinata anteverteret. Constans persuasio non solum Lovanii, sed per universam Brabantiam, sed per omnes provincias erat, hanc urbem contra tantam vim hostium, neque vel ad breve momentum, subsistere posse. *Nannius.*

Senatus una cum aliquot primoribus Universitatis statuit hostem precibus et donis arcendum, quem viribus non poterant, nec pecuniarum damnum, ut tunc tempora erant, pro magno habendum. Itur ad hostem cum oblatione ingentis pecuniae. Caeterum ille, conscius nostrae imbecillitatis, certus victoriae, omnia aspernabatur, praeter plenam deditionem.

Apertis denuo, ob colloquia iteranda, portis, exploditur, Deo ita disponente, tormentum; quod an alicujus hominis opera factum sit, sciri non potuit. Tunc scholastici primum, deinde cives, putantes sibi signum dari, omnia sua tormenta in hostes exploserunt, qui induciarum fiducia juxta fossam et portam Bruxellensem passim vagabantur.

Ibi scholasticus hostem invadit et in fugam conjicit, stragibus, cladibus, caedibus, cadaveribus omnia complet, tantumque terroris hosti injecit, ut deinceps nullo ducum hortatu instigari potuerit, ut saltem oppugnationem simulare vellent. *Nannius.*

Non culpo fugam eorum, qui se e capta, ut putabant, urbe abstulerunt. Credidere id jam factum, quod omnis Brabantia futurum crediderat. Sed laudo eos, qui nullo imperio adstricti, periculosissima loca ceperant, se semel capta pertinaciter retinuisse. *Idem.*

Ad hanc communionem laudis cives admitto, unaque vobiscum servatores et vindices appello. Sed ut in eorum factis ibidem opus ita non easdem causas conspicio. *Idem.*

Vester dux Damianus in manibus hostium erat, qui impetraverat ab hoste, ut si pax conveniret, vel tuto in urbe remaneretis, vel impune abiretis. Id se egisse ad Senerium et Christophorum, qui absentis ducis partes optime administravere, renunciavit.

Petrus Lupus Harius, Hispanus, qui Lovanii annos plus minus sedecim vitam probe et honeste agens, homo rei militaris peritissimus, utpote quam in Aquilonaribus partibus, per multos annos, sub Daniae, Norvegiae, Sueciaeque regibus, ac sub Livoniae equitum Cruciferorum principe haud parva cum laude et gloria exercuerat, a senatu Lovaniensi bombardarum et machinarum bellicarum omnium praefectus creatus est. *Damianus Goes, de obsidione Lovaniensi, Olissipone, 1546.*

Porro Carolus V imperator, ubi intellexit magistratum decrevisse hosti dare intra quinque dies septuaginta coronatorum aureorum millia, congios, quos amas vocant, quadraginta vini et centum cerevisiae, quosdam viros honoratos per moenia elapsos esse, et similia quaedam; modestissime dixit: « Mei boni cives Lovanienses non sunt milites. » Ac mox, ad octodecimum diem augusti elapsos revocans, libenter eis condonavit, quicquid in peccatum imputari poterat. Atque haec omnia et absentia expectati praesidii eo pertinent, ut clarius Dei beneficium in conservata Universitate agnoscamus.

Nicolaus Bossutius, dominus Longevallis, et Martinus Rossemius Gelriae melator, nulla denunciatione belli facta, instar praedonum, Brabantiam repentinis depopulationibus, incendiis, caedibus vastabant, Lovanium magnis itineribus contendebant, ut ibi sedem belli statuerent, quo utrimque e Gelria et e Gallia exercitus tuto commearent. Quem locum si armis tenerent, certa jam illos spes fovebat proxima quaeque in ditionem et potestatem suam redigendi, accessione praesertim copiarum Gallicarum, quos Aureliorum dux non ita procul apud Ivodium sub signis habebat. *Damianus Goes.*

CAPUT XXXIV.

DE SACRIS BELLIS PHILIPPI II, HISPANIARUM REGIS CATHOLICI ¹.*Bellum Africanum.*

Anno 1564, die 6 septembris, Garzias Toletanus, maris praefectus, auspiciis Philippi regis arcem Africae munitissimam, quam vulgo *del Peñol de Velez* appellant, intra paucos dies Turcis eripuit, impositoque firmo praesidio, tutam a piratis Hispaniam reddidit.

Bellum Melitense.

Anno 1565, quum sultanus Solimannus, christiani nominis et praesertim Ordinis Rhodii acerrimus hostis, horrenda et stupenda oppugnatione fere quadrimestri Melitam insulam oppugnasset, et majorem partem suorum militum veteranorum amisisset, in recessum seu fugam eum coëgit adventus Garziae a Toledo, Siciliae proregis ac praefecti classis Philippi Hispaniarum regis, cum subsidio ei auxilio decem millium militum et selectorum virorum, inter quos erant ad minus ducenti et quatuordecim Equites Rhodii ac plures alii generosi viri, qui christiana pietate commoti ex diversis mundi partibus concurrerunt, opem et auxilium Rhodiis et toti Italiae, cujus salus agitabatur, allaturi.

Exstat rerum a Turcis in insula Melite gestarum tractatio Hieronymi comitis Alexandrini. Sunt et alii, qui Melitam et Melitense bellum descripserunt.

Contra Turcas victoria navalis.

Die 25 maii, anno 1571, initum est foedus inter pontificem, Hispaniarum regem, Venetos et alios Italiae principes contra Turcam, haereditarium Christianorum hostem.

¹ Vide op. cit. p. 126.

Die 7 octobris anno eodem sacra navalis pugna inter Christianam et Turcicam classem committitur non longe a Corinthiaco sinu; ubi Christianorum classis, in virtute Domini dei Sabaoth decertans, Turcarum classem et numero longe superiorem et praeteritis elatam victoriis mira Dei benignitate devicit.

Tantam Christiani retulerunt victoriam, quanta vix post hominum memoriam ulla contra barbaros Christianis concessa legitur. Capta Turcarum quinque millia, occisa circiter unum et viginti millia, Christianorum liberata quatuordecim millia, captae triremes Turcicae centum quinquaginta et una, submersae quadraginta.

Joannes Austriacus, Philippi regis frater, generalis imperator, pugnam aggressurus, in genua procumbens Deum brevi oratione precatus est, ut sibi dignaretur illa die victoriam contra suos hostes concedere. Quod pium pietissimi classis imperatoris exemplum caeteri reliquarum triremium capitanei imitati sunt.

Peracta victoria institutae sunt Venetiis et alibi, item in Ordine Praedicatorum, processiones in victoriae memoriam et gratiarum actiones.

Rei gestae series a quamplurimis luculenter et prolixè descripta exstat. Sunt etiam edita poemata, arcus triumphales et alia classicae victoriae monumenta.

Victoria Tunetana.

Ad eundem septimum diem octobris, biennio elapso, Joannes Austriacus, a fratre missus in Africam, Tuneto, quod regni caput est, potitur. Amidam regem, quod factiones fovisset, verosque regni haeredes ejecisset, et Turcas sollicitasset, captivum cum uxore et liberis in triremem detrusit, et in Siciliam misit. Ei successorem in regno designavit Muleassem adolescentem, jurejurando ante ut vasallum regi Hispaniae obstrictum, cujus imperata facturus, conditionesque propositas servaturus esset. Et urbis munitioni Serbellanum praefecit.

Caeterum Philippus rex Tunetani regni possessione, post annum quam illud ceperat, eversa Turcarum armis Gouleta (quod unicum Africae propugnaculum invictum credebatur) exclusus ejectusque fuit.

Contra Hugonotos.

Anno 1567 quum in Galliis novos tumultus excitarent calvinistae, accito etiam ex Germania milite peregrino, misit catholica Majestas regi Francorum comitem Arenbergium cum duobus millibus equitum, ad ignem illum celeriter restinguendum. Quos rex, die 21 novembris, cum magna laetitia excepit.

Rursus anno 1569 quando Hugonoti Joannem Casimirum, comitem Bipontinum, cum magna Germanorum manu in Gallias evocarant, rex catholicus, animo vere fraterno, regi christianissimo in summis angustiis posito maxima peditum equitumque subsidia misit, per quae mense octobri, die tertia, insigni victoria usus est. In quo praelio gravissime vulneratus est comes Mansfeldius, qui strenuam in eo bello operam navavit. Pro hac victoria, jussu ducis Albani, in die Simonis et Judae sacrum cum supplicatione in gratiarum actionem celebravimus.

Contra Mauros.

Felix fuit annus 1570 Maurorum Granatensium debellatione, qui catholicum regem duobus fere annis occupatum vexatumque tenuerant ¹.

Contra Guesios.

(Solutus hic titulus in Molani codice exprimitur.)

¹ In ima ora fol. 279 recti haec adscripsit auctor : « Contra Ludovicum in Frisia 1568. Cap. venit Lovanium 12 octobris 1568 gubernator in

Moeck 1574, 14 aprilis cum Fr. filio Co-Palatini et Henrico fratre pr. »

CAPUT XXXV.

DE SACRA MILITIA LOVANIENSIIUM REGNANTE PHILIPPO II ¹.*Contra Iconomachos.*

Anno 1566 quando, velut turbo quidam, Belgium pervasit horrenda et satanica sacrarum ecclesiarum et imaginum oppugnatio, studiosi et cives propria corpora furori iconoclastarum opposuerunt per menses complures, militaribus stationibus et excubiis observatis, urbemque ipsam ab omni violatione illibatam conservarunt.

Contra obsidionem Auraïci.

Obsessa est urbs anno 1572, die 3 septembris, ab instructissimo et saevissimo exercitu, qui nihil aliud spumabat quam interneconem sacerdotii, cleri et omnium catholicorum. Unus, velut symbolum suae nequitiae, evisceratum cor sacerdotis habebat, alius jactabat se suo mucrone multos monachos interfecisse. Ubique eructabatur extinguendum esse nidum pastorum (Germani sacerdotes *paffos* vocant, vocabulo olim honorifico).

Contra hos fidei, corporum et bonorum hostes, oppidani nostri et studiosi, mox ubi ad arma (quod vulgo *alarme* dicitur) pulsabatur, ad moenia et munitiones concurrerunt.

Ex hostibus constat centena aliquot desiderata esse, et calidos ad antipodes migrasse. Gemma scribit adsilientes Vascones procella glandium stratos plures quingentis animam sub moenibus exhalasse. Ex nostris unicus tantum cecidit signifer studiosorum.

Ex illis ante recessum Auraïci fere ducenti laesi delati sunt ad hospitales urbis sedes; ex nostris nullum laesum scio.

Et tamen tertium sustinuimus barbarorum insultum. Hostes qui Ruremondæ in sanguine sacerdotum et monachorum manus laverant, per

¹ Vide Molani *Militiam sacram ducum Brabantiae*, p. 126.

moenia, per aquas, per flammam et ignem portae Heverlensis in urbem irruebant, ad proximum insultum disponebant magna tormenta muralia, quae viginti quatuor habebant. Nec dubitabant, quin prima luce urbem pro libito essent foedaturi.

Nos vero, pusillus grex Lovaniensis, cui nec rerum bellicarum erat peritia, nec spes affulgebat habendi praesidii, in sola Dei clementia spem ponebamus. Omnium enim oculis patebat amplissimam et vastissimam civitatem adversus tantorum impetum a nostra paucitate defendi non posse.

In tanta praeterea incolarum paucitate multi fuerunt ecclesiastici, religiosi, scholares, qui non arma et lanceas, sed preces, jura, leges et literas scire existimantur.

Pauci erant qui arma ferre poterant, paucissimi qui iis uti noverant. Quid hi, quaeso, contra talem exercitum egissent, qui se etiam Albani castris ante Montes formidabilem exhibuit, ubi tamen totum erat Majestatis robur in fossis et munitionibus contra hostem velut sepultum?

Et tamen in tantis periculis saepius a civibus clamari audivi pugnandum esse usque ad ultimam sanguinis guttam. Bombardarii et sclopetarii fidei calcare inflammati animose perstiterunt. Alibi circumferebatur sacramentum dominici corporis miraculo illustratum; et, inter supplicandum, ardentium precum jacula ad divinam clementiam emittebantur. Multae etiam mulieres nudis pedibus subsequebantur.

Hactenus Universitas et civitas facialem sive caduceatorem audire recusaverat, nec quemquam ad Auraicum miserat. Sed tandem sub noctem, quae ipse ejusque legatus proponebant, ut saluti reipublicae consulerent, examinerunt; et urgente necessitate in quatuor condescenderunt conditionum tolerantiam.

Qua in re nihil aliud actum est, quam quod pro zelo tuendae religionis, pro honore regiae Majestatis, pro salute reipublicae Lovaniensis et totius Belgii factum oportuit. Perdidisset Belgium aliam Universitatem, seminarium pastorum et doctorum Ecclesiae, sacrorum ordinum florem ac thesaurum irreparabilem, domicilium literarum, matrem omnis pietatis, eruditionis et prudentiae. Sacerdotium numerosum fuisset extinctum, monasteria hujus urbis, et quotquot ad ea confugerant, periissent. Denique qua barbarie stupratae fuissent virgines, polluta sacra quaeque, et horrenda tremendaque nostrae religionis mysteria? Haec igitur aliaque

multa ut discessu exercitus evitarentur, toleratae sunt conditiones quatuor, quae praeteriri non poterant, caeque tum demum initae quando omnibus constabat urbem a nobis defendi non posse.

Mirum fuit Lovanienses maluisse cum temeritate pugnare et tertium peti insultum, quam cum prudentia ante pugnam pacisci. Sed ad eam temeritatem eos propellebat summus affectus erga christianam religionem et regiam Majestatem. Placuit etiam divinae providentiae, ut aliquandiu quantumvis cum temeritate pugnaremus, ne in multorum hominum opinione Universitati nostrae aliquid splendoris et auctoritatis decresceret.

Mirum etiam est animum hostis frangi potuisse. Stomachabatur enim Lovanienses ipsum remoratos esse, ab ortu solis usque in vesperam legatos non misisse, imo nec caduceatorem nec ipsummet eorum, ut loquebatur, amicum, nisi sub vesperum audire voluisse. Rursus obstinato animo conceperat Lovaniensem scholam docere haereticis fidem datam servandam non esse. Denique multorum caede erat irritatus, et nos omniaque nostra in sua potestate esse videbat, ut mirum sit eum frangi potuisse. Longe vero mirabilius est barbaros ejus latrones et plenos minarum in Lovanienses, qui ducum et praefectorum legibus constringi se non permittebant, quum jam in urbem nostram irruerent, ab irruptione ejus retrahi potuisse, cujus et sanguinem sitiebant, et bonis ut praedae inhiabant. Sed utrumque a Domino factum est, qui in camis et frenis maxillas peccatorum constringit (Ps. XXXI), et hominum iras atque furoribus terminos ponit, quos transgredi non possunt.

Mirum est denique Universitatem, multis nominibus christiano nomini commendatam et fanatico haereticorum odio expositam, praesidio caruisse, quod tamen ab utroque magistratu per crebras literas est desideratum. Sed suavissima Dei dispositio illud, quo aliae civitates salvatae sunt, deesse voluit, ut ipsius in nos manifestior reluceret beneficentia. Dixissent principes et filii hominum: Nostra est Lovaniensium conservatio (Ps. CXLV); verbum hoc sibi Deus reservari voluit, qui hanc Universitatem ut oculi sui pupillam custodivit (*Deut.* XXXII). Cui sit gloria, honor et gratiarum actio per sempiterna saecula (Ps. XVI).

De tribus periculis post obsidionem.

Sicut autem Dei clementia nos in ea obsidione conservavit, ita mox tria subsecuta sunt pericula gravissima, in quibus omnibus nos Deus protexit non semel, sed iterum, tertio et quarto, ut ab ejus laude et gratiarum actione non cessemus, et ut ab omnibus intelligatur, quanto amore et favore urbem nostram prosequatur.

Primum periculum fuit quarta die septembris, quando cum equitibus illis, quos parando commeatui destinarat, ex improvise tanta irruptio facta est, ut nemo non urbem proditam certoque devotam exitio suspicaretur. Publicavit tum senatus ex auctoritate ab Auraico petita, ne quis in urbe pernoctaret. Narrabant passim, qualis sibi pridie fuisset animus ipsos se sibi miraculo esse, qui ita semel objecta sibi praeda revelli potuerint. Certe quod homines sine fide ac praedae maximae inhiantes, intra urbem constituti, manus suas continuerint et regressi sint, non hominis sed Dei fuit opus.

Secundum periculum erat nona die septembris a Felice quodam capitaneo factioso oppidi Thenensis, qui nobis sanguinolentum praesidium obtudere conabatur. Eratque factionis ejus intra urbem conscius Oliverius Tymple, qui, dum ad pulsum campanae excurrerebat, a bonis repressus est, ne pedem moveret, nisi primus interire vellet. Divina quoque benignitate, omnia disponente, a factiosis erratum erat in hora. Unde infelix ille alchymista paulo post propter Albani adventum Thenas deserens, dum Lovanium cum suis praetergreditur, Vloderbacensem ecclesiam incendit, sed eodem die ad arborem Zitchemiae suspensus ad malitiae suae metam pervenit.

Accessit tertia trepidatio, eo quod Albanus dux, nonnullorum persuasione, Lovanium dicebatur cum Mechlinia militi in praedam daturus. Sed illustrissimus dux seipsum vicit, et suggestionis infaustae studia correxit, sic urgente Deo et principibus viris, duce Medina Coeli, duce Arsotano et praeside Viglio, desuper eum acriter admonentibus.

Postea mense aprili anno 1574 vocati sunt Bruxellam ad curiam a gubernatore primores Universitatis et civitatis. Ubi illis lectae sunt literae regiae Majestatis, datae in Hispaniis 12 martii, quibus declarabat se Lo-

vanienses omnino excusatos habere de tractatu in obsidione cum principe Auroico inito et de aliis in necessitate gestis.

Contra circumvicinos hostes.

Verum quum multae vicinae civitates per aliquot annos fuerint, extincta religione catholica, haeretico praesidio gravatae, et tanta fuerit illius praesidii aut potentia aut vafrities, ut unius noctis insultu celebres civitates Mechliniam, Diest, Alostum, alia loca interceperint, foedissimeque tractaverint, Lovanienses cives domesticas suas angustias forti animo tolerarunt, Deo gratias agentes quod non eo loco essent quo Bruxella, Mechlinia, Antverpia, Lira, Vilvordia, Teneraemonda ac reliquae hostiles civitates. Et si quando contra hostes ad arma noctu proclamabatur, non tantum milites, sed etiam magno zelo cives ad munitiones et moenia accurrebant sub suis stabuli-comitibus, aut centenariis, aut voluntariis signis. Tanto autem magis zelus et patientia civium increvit, quanto clarius viderunt hostes in pejus proficere.

Contra incursionem pseudoducis Francisci.

Maxime autem in hoc rerum statu Dei erga Lovanienses bonitas patefacta est anno 1582, ad auroram die 29 octobris, quando hostes Franci et Belgae, nomine Francisci Alenconiensis, pseudoducis Brabantiae, magnis copiis in Lovaniensem urbem incursionem fecerunt, nihil de occupatione urbis dubitantes; scalas, quae plures quam quinquaginta in urbem attractae sunt, tribus locis disposuerant, antequam animadverteretur. Et tum demum non a stationariis militibus, sed a civibus, in tribus iis locis est animadversum, quum hostes magno numero in fossis urbis essent, et scalas ac moenia ascenderent, quumque ad portam Diestensem et vas pulveris aliaque instrumenta parata essent, ut illac circiter nongenti equites intrarent. Neque ex hac incursione hostes honorem reportarunt, qui cum longe minoribus copiis munitiores urbes involarunt, hic trepide substiterunt, quum jam urbem habere viderentur. Neque in suis viribus gloriari possunt praesidia Burgundionum, Italorum, Gallorum et Alemannorum, quandoquidem

quod non fuerit eis urbs erepta, antequam admonerentur publico civium clamore, ad solius Dei clementiam est referendum. Crassa enim fuit omnino negligentia, quod nusquam hostis appropinquationem animadverterint. Sed ea multo crassior fuit in tot praesidiariis militibus, qui contra hostes ex officio et professione sua excubitores erant. Verum placuit Deo eos extraordinarie negligentes esse et utcumque sero pugnare, ut ad ejus bonitatem clarius protectio urbis referretur.

Anno 1583, die 18 julii, ante duodecimam noctis, Tymple putavit intercipere Lovanium per quatuor millia peditum et quingentos equites, sed Fabius Neapolitanus, ab eo ad nos rediens, eum in Banco adesse significat, et primum insultum futurum per Dirbier apud Parchensem portam, praecipuum vero insultum ad portam Bruxellensem.

Memoria Salzedo.

In hac sacra militia obiit Lovanii anno 1580, die 15 augusti, Joannes Croy, dictus Salzedo, civitatis Lovaniensis gubernator, magnus civium fautor et disciplinae militaris instaurator. Qui quum paucis diebus praefuisset, sclopeto a milite in tibia trajectus est. Unde quum multis hebdomadibus decubisset, tandem ad Dominum migravit, sepultus ad Minores.

Hic fuit inter Saracenos slavus, sed redemptus est ab Ordine S. Trinitatis, qui pro redemptione captivorum est institutus.

CAPUT XXXVI.

MEMORIA ALIQUOT LOVANIENSIVM QUI IN SACRA MILITIA
REGNANTE PHILIPPO II CLARUERUNT.

Antonius Absolonius.

Nobilis et generosus dominus Antonius Absolonius, dominus de Elsbeeck, eques Hierosolymitanus, Venetorum partes magno avitae religionis studio contra Turcam secutus, facultatum suarum parte hujus urbis patriae suae, praesertim parochiae divi Jacobi, in eleemosynam relicta, in Cor-

cyra, maris Adriatici insula, hodie Corfu dicta, vitam cum morte commutavit anno 1572, III nonas aprilis. *Monumentum ad S. Jacobum.*

Cornelius et Vincentius Van den Broecke.

Cornelius Van den Broecke, artium magister, apud Melitenses, ducta uxore, sedes fixit et in servitio dominorum Melitensium bombardarius occubuit in Turcica obsidione anni 1565.

Vincentius fratris exemplum imitatus ibidem in eodem servitio superest.

Petrus Van Quaderebbe.

Quaderebbe, praetor civitatis Lovaniensis, vir generosus, prudens et ob peritiam rei militaris magnae in aula existimationis, anno 1572 a duce Albano missus est Dordracum, ad seditiones urbis componendas, sed quum mali bonis longe praevalerent, captivus traditus est principi Auräico, cui gratissimus fuisset, si ejus partes sequi voluisset. Caeterum in captivitate usque ad obitum Deo et regi fidelis permansit. Mortuus est Gorcomii anno 1574, die 30 maii.

Victor Dingemans.

Victor Dingemans, patria Brouwershavius, studio Lovaniensis, officio voluntario studiosorum signifer, unicus in defensione urbis contra Auräicum cecidit. Quum enim ejus singulari zelo ad portam Heverlensem, statione maxime periculosa, hostes aliquot cecidissent, ipse globo per frontem trajectus, pro munere gloriosam victoriae palmam moriendo excepit.

Ægidius Snoeck.

Ægidius Snoeck, candelarum factor, vir rectus, qui catholicam religionem et ecclesiasticam musicam amat, quum in scopeto suo dejiciendo plurimum valeret, a porta Parchensi ad Heverlensem, ubi pondus periculorum erat, accurrit et memorabilem se posteritati reddidit.

Quum ea, quae fama vulgaret, ab ipso audire mallet, modeste mihi respondit primum se novem occidisse, quorum cadavera ex Heverlensi porta conspici potuit. Secundo se remotius dissitos quadraginta et plures tetigisse, e quibus quot perierint ignorat. Tertio sese comiti Henrico, principis fratri, dejecisse deauratam gladii crucem; sed divinae dispositioni adscribit, quod eum neque occiderit neque vulneraverit. Id enim pessime potuisset civitati cedere. Denique interrogatus num extra moenia fuisset, respondit se alios animasse, ut cum eo pontem dejicerent, et posita scala extra moenia descendisse et unum glande trajecisse; sed mox eadem via, quum nullus sequeretur, intra urbem rediisse.

Gerardus Van Griecke.

Gerardus Van Griecke, senator, consularis et patricius Lovaniensis, a victoriosissimo principe Joanne ab Austria, quum Lovanium in regiae Majestatis protectionem suscepisset, delectus est, qui civium turmae capitaneus praeset ad tuitionem urbis Lovaniensis et castris Heverlensis; in qua functione quum strenuus esset, subsecuta mortalitate, quae etiam Joannem Austriacum nobis abstulit, functionem eam cum vita deposuit.

Carolus Van den Tymple.

Tymple, praetor Lovaniensis, ex primaria hujus nobilitate, urgentibus eum Alexandro Farnesio, principe Parmensi, et Joanne a Croy, comite Rhodiensi, ducentorum militum e corpore civium praefecturam suscepit. Quos prudenter et modeste in sobrietate et disciplina militari continuit, adeo ut prae multis aliis vexillis apud Parmensem principem et alibi multam laudem sint consecuti.

CAPUT XXXVII.

DE VICTORIIS CONTRA LOVANIENSES ALIOSQUE BRABANTOS, MERITIS
ET PATROCINIO SANCTORUM.

Merito etiam ad sacram militiam referre licet eas victorias, quas per sanctos patronos suos nonnulli obtinuerunt. E quibus quaedam hoc loco commemoranda sunt.

Victoria Mechliniensium per S. Rumoldum.

Quum Joannes secundus Mechliniam, quae ultro citroque frequenter divendebatur, sine suo assensu divendi posse assereret, exortum est inde bellum et magna Mechliniensium, quos Brabanti penuria premebant, afflictio. Quod bellum etsi plene nusquam descriptum sit, et varie narretur, apud Mechlinienses tamen indubitata est omnium opinio, eos in magna victualium necessitate constitutos, merito et evidenti patrocinio S. Rumoldi victoriam obtinuisse. Ducem sibi adsciverant Petrum Dondeher, Anglum, ordinis equestris. Is clypeo suo affixit divi Rumoldi costam, spem in martyre collocans. Corpus S. Rumoldi deferebatur ad portam a duobus canonicis. Et Mechlinienses, praemissa ad Deum et S. Rumoldum oratione, exiverunt, magnamque cladem Antverpiensibus et Lirensibus intulerunt, Bruxellenses disperserunt, Lovanienses in fugam coegerunt, et currum cum fumatis halcibus, feria quinta sanctae septimanae, victores Mechliniam intulerunt.

Qua victoria obtenta, instituta est in gratiarum actionem annua processio in feria quarta Paschae. Dux belli curavit costam S. Rumoldi sumptuose auro et argento obduci, instar angeli eam manu gestantis. Cives, praecipue textores et fullones, novum feretrum sancto Rumoldo promiserunt, quod anno demum 1369 absolutum est, ponderans marcas argenti triginta sex, et unicuique marcae additi sunt duo ducati aurei. Pro opera marcae dati sunt octo floreni. Unde feretrum, eo anno absolutum, constitit, praeter gemmas et alia quaedam, sexaginta sex millibus florenorum, ut declarat registrum civitatis.

CAPUT XXXVIII.

DE PRAEDICATORIBUS CRUCIS.

In Ordine Praedicatorum.

Cruciatae Praedicatores corrigere et amovere, et loco illorum alios ponere potest magister Ordinis ubique, et provinciales in suis provinciis. *Sixtus IV, in Magno Mari, fol. 152.*

Jacobus de Vitriaco, cardinalis.

Venerabilis Jacobus de Vitriaco, ut multis adhuc notum est, crucem Hierosolymitanam ob salutem multorum in Brabantia praedicavit. *Thomas Cantipratanus, lib. II Apum, cap. 18*¹.

¹ Molanus hic in ima ora folii 286 versi adscripsit hanc notationem, quae pertinere videtur ad caput XXXVII : « Breda occupata anno 1581, 27 junii; Lira anno 1582, 2 augusti; Roest (vel Reest), in.... perditum 7 novembris, anno 1582. »

HISTORIAE LOVANIENSIIUM

LIBER NONUS.

DE UNIVERSITATE.

DE UNIVERSITATE.

CAPUT I.

ERECTIO ET FUNDATIO UNIVERSITATIS PER MARTINUM V, ANNO 1425.

Praefatio.

« Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Sapientiae immarcescibilis, cujus inextinguibile irradiat lumen, cujusque infinitus est thesaurus omnem habens vigorem, et virtutis Altissimi dispensator, omniumque crismatum elargitor, ipse Dominus ad hoc, suae miserationis dignatu, nobis, licet immeritis, sponsae suae, universalis Ecclesiae, regimen pia dispensatione commisit, et nostrae debilitatis oculo jugum imposuit apostolicae servitutis, ut in Petri specula positi, tamquam de supremo vertice ad infima mundi, protoplastique posteris, qui non natiuitatis deprecantur fructus, sed intelligentiae spiritu eandem, cujus initium verissima est disciplinae concupiscentia, perstringendi sapientiam, divinis educantur eloquiis, reflectentes intuitum, quid pro indisciplinatis errantium curandum mentibus pro hujusmodi illustranda Ecclesia ad fidei propagationem conferat orthodoxae, quid statui conveniat fidelium quorumlibet, prospiciamus attentius, et qualiter a fidelibus ipsis profugatis ignorantiae tenebris, illi post supereminentissimam summi opificis notionem, per ejusdem sapientiae donum in via mandatorum directi, veri luminis pertingant claritatem, solertius intendentes eo ad quaerendum ipsius sapientiae alimenta literarum studia, per quae divini nominis et

ejusdem fidei cultus protenditur, militantis Ecclesiae respublica, in spiritualibus et temporalibus, cum animarum salute geritur, pax et tranquillitas ubilibet solidantur, omnisque conditionis humanae dilatatur prosperitas, nostrae provisionis, sollicitudinis ope, apostolicisque favoribus propensius excitemus.

Supplicatio.

« Sane pro parte dilectorum filiorum, nobilis viri Joannis ducis Brabantiae, ac praepositi, decani, scholastici et capituli ecclesiae S. Petri, nec non burgi-magistrorum, scabinorum, et communitatis oppidi Lovaniensis, Leodiensis dioecesis, nobis nuper exhibita petitio continebat: quod licet in ducatu Brabantiae, et in aliis dominiis ipsius ducis, nec non etiam in Leodiensi, Cameracensi, Trajectensi, Morinensi et Tornacensi dioecesibus, caeterisque ibidem circumvicinis partibus et dominiis, multa famosa et insignia loca populo christiano et rerum copia admodum opulenta existant; nullus tamen in illis locus esse noscitur, in quo saltem generale vigeat studium literarum: unde partium illarum plerique, commodo et usu studii carentes, vel hujusmodi literarum imperitiae subjacent, vel in remotis partibus degere habent, scientiae hujusmodi in eis sectantes incrementum. Verum oppidum praefatum, quod de temporali dominio ipsius ducis existit, adeo rerum copia, aëris temperie, multitudinis capacitate, atque domorum et aliarum rerum necessariarum commoditate per Dei gratiam est refertum, quod ad hujusmodi receptandum, confovendumque studium aptum plurimum et idoneum esse perhibetur. Quapropter ipsi dux, praepositus, decanus, scholasticus, capitulum, burgi-magistri, scabini et communitas, considerantes attentius, quod inter caetera virtutum opera, quae tamquam accepta summo rerum auctori sacrificia, quae per manus offeruntur humanas, illa divinae Majestati grata plurimum nullatenus ambiguntur, per quae ad suscipiendum singulare virtutum diadema illis, qui scientiarum earundem sitiunt acquirere margaritam, opportunis remediis, et auxiliariis commodis, subventionis praesidium efficaciter impertitur, generale literarum studium in eodem oppido ordinari desiderant, ut inibi disciplinae atque sapientiae se studiis exercentes, sibi et aliis meliores effici valeant, et partium illarum prosperitatis, auctore Domino facilius incrementum sequatur. Et nihilominus dux ipse, una cum burgi-magistris,

scabinis, et communitate hujusmodi domos aptas, et loca convenientia illic cum scamnis et aliis necessariis officinis pro magistris, doctoribus et scholaribus, ac aliis pro tempore legentibus, docentibus, disputantibus et audientibus deputare: nec non eisdem magistris et doctoribus et legentibus, de salario competenti annis singulis, vel alias de beneficiis ecclesiasticis providere: nec non quod rector Universitatis studii hujusmodi pro tempore existens super omnia membra Universitatis ejusdem et illorum servitores, tam in civilibus quam in criminalibus, et aliis quibuslibet causis, negotiis et excessibus, sine impedimentis quibusvis jurisdictionem, coercionem et emendationem dictis duci, praeposito, decano, scholastico, capitulo, burgi-magistris, scabinis et communitati, communiter vel divisim in eodem oppido quomodolibet competentes, exercere valeat, concedere et jurisdictionem, coercionem et correctionem hujusmodi a se penitus abdicare, et in rectorem ipsum plenarie transferre: singulis quoque doctoribus, magistris et scholaribus, causa studii ad dictum oppidum accedentibus, vel de illo recedentibus, pro tempore quaecumque sua, res et bona secum asportandi, et ea pro suae voluntatis libito deportandi, sive ibidem vendendi, libertatem tribuere intendunt pariter et proponunt. Quare pro parte dictorum ducis, praepositi, decani, scholastici, capituli, burgi-magistrorum, scabinorum et communitatis, desiderantium etiam, quod magistri, doctores et scholares supradicti pro potiori dicti studii incremento condignis privilegiis se communitos sentiant, quibuslibet privilegiis, libertatibus, immunitatibus et exemptionibus aliorum generalium studiorum, quantum in ipsis, e duce, praeposito, decano, scholastico, capitulo, burgi-magistris, scabinis et communitate, et aliis ipsius ducis subditis fuerit, gaudeant et utantur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut in dicto oppido generale litterarum studium in qualibet licita Facultate erigere et ordinare, de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio.

» Nos igitur, qui relatione fida, post informationem diligentem super habilitate loci, et aliis circumstantiis praemissis de mandato nostro receptam, oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariarum ubertate refertum, et alias pro hujusmodi studio locum

aptum didicimus, pium, meritoriumque eorumdem ducis, praepositi, decani, scholastici, capituli, burgi-magistrorum, scabinorum et communitatis desiderium, per quod scientiarum fons, ex quo ad Dei laudem et gloriam haurire possint singuli viri consilii maturitate perspicui, virtutum et dogmatum ornatibus redimiti succedant, plurimum commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesentium serie statuimus, et etiam ordinamus: quod a modo in dicto oppido generale in Facultate qualibet, praeterquam in theologia, sit studium, illudque perpetuis futuris temporibus ibidem vigeat et observetur: quodque omnes et singuli doctores, magistri, et scholares inibi omnibus et singulis libertatibus, immunitatibus et indulgentiis quibusvis doctoribus, magistris et scholaribus, Coloniae, Wiennae, ac Lipsiensis, Pataviensis et Merseburgensis dioecesium oppidis studii causa commorantibus per Sedem Apostolicam, vel alias qualitercumque concessis gaudeant pariter et utantur.

Cancellarius.

» Singuli vero, qui cursu feliciter consummato in ea Facultate, qua hujusmodi inhaesere studio, bravium obtinere meruerint, sibi etiam pro aliorum erudimento docendi licentiam, ac doctoratus sive magisterii honorem petierint elargiri, per ipsorum inibi doctores sive magistros praeposito (quem cancellarium studii in oppido hujusmodi esse perpetuo volumus) si illic praesens fuerit, alioquin decano dictae ecclesiae, pro tempore existentibus, sive aliis ab eis deputandis praesententur, ut ab illis, si servatis consuetudine et modis, super talibus in dictis studiis generalibus observari solitis, ad hoc exstiterint idonei, sufficientesque reperti, licentiam et honorem sortiantur et reportent antedictos: et qui quidem praesentati quamprimum illos adepti fuerint, absque ulterioribus ab eis habendis examine et approbatione in ipsa Facultate, qua licentiam et honorem attigerint, in eisdem legere et docere libere et licite ubique possint et valeant.

Rectoris jurisdictio.

» Rursus quoque omnium et singulorum causarum et negotiorum cognitio atque decisio doctorum, magistrorum, scholarium, membrorum atque servitorum eorundem, sive clerici sive laici fuerint, et etiam de quibuscumque criminibus et excessibus, correctio et punitio; ac omnimoda super illis jurisdictio ad rectorem studii in eodem oppido (quem dictum scholasticum per primum quinquennium esse, et ex tunc annis singulis inibi juxta consuetudinem studiorum hujusmodi eligi volumus) et non ad ducem, seu ejus successores, duces Brabantiae, praepositum, decanum, scholasticum, capitulum, burgi-magistros, scabinos et communitatem praefatos, aut aliquem ex eis, ipsorumve officiales pertinere omnimode dinoscantur.

» Praefatisque duci, successoribus, praeposito, decano, scholastico, capitulo, burgi-magistris, scabinis, communitati et officialibus, et aliis quibuscumque, de causis et negotiis hujusmodi cognoscendi, sive illa dirimendi, aut membra et servitores hujusmodi, vel ex eis aliquem, pro criminibus, et excessibus eisdem, aut quomodolibet corrigendi vel puniendi, seu aliquam in eos superioritatem vel jurisdictionem exercendi, facultate et auctoritate penitus interdictis, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et aliis contrariis quibuscumque.

» Volumus autem, quod nisi infra annum, a data praesentium computandum, dux, et praepositus, decanus, scholasticus, et capitulum, ac burgi-magistri, scabini et communitas supra dicti, prout eos communiter vel divisim contingere censetur, privilegia et libertates concesserint, ac jurisdictionem a se abdicaverint, et eam in rectorem ac Universitatem praedictos transtulerint, antedicta realiter et cum effectum, praesentes literae, et quaecumque inde secuta, nullius existant roboris vel momenti.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis, ordinationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romae apud sanctos Apostolos, V idus decembris, pontificatus nostri anno nono. »

Subscriptum supra plicam : JO. DE NURSIA; sic in plumbo : MARTINUS PP. V.

CAPUT II.

ANNOTATIONES ALIQUOT QUOAD ERECTIONEM UNIVERSITATIS.

Scopus erectae Universitatis.

« Studium generale Lovaniense per nos summis expetitur consiliis et ardentibus desideriis expectatum, per sanctissimum Dominum nostrum Apostolicum tam consulte quam provide ad nostram crebram instantiam ordinatum et erectum est ad communem nostrorum principatum et dominiorum, et signanter ducatus nostri Brabantiae, quem sua virtute poscente non immerito prae caeteris adamamus, totiusque reipublicae commoditatem, utilitatem et profectum. » *Joannes dux, fundator, anno 1426, 7 novembris.*

Meritum Lovaniensium.

Fortassis autem singularis Dei dispositio scholam hanc Lovaniensibus dedit, eo quod ipsi, cardinalis Placentini sacris concionibus evocati, magno numero pedites et equites cruce signati ad bellum contra Hussitas profecti sint, quinto anno ante ipsius Universitatis initia.

De moribus civium.

« Sanctissimus in Christo pater ac dominus noster, dominus Martinus, divina providentia, papa modernus, in oppido nostro Lovaniensi, loco vinetis, pratis, rivulis, frugibus et fructibus, ac aliis circa victualia necessariis referto, in aëre dulci et bona temperie situato, loco quidem spatio et lato, et ubi mores burgensium et incolarum sunt benigni, studium generale pie et ex suae miserationis innata clementia erexit. » *Joannes dux, in notificatione studii generalis, anno 1426, 18 augusti.*

De loco Universitatis.

Oppidum ipsum aëris temperie politum, singularumque rerum humano usui necessariorum ubertate refertum, et alias pro studio locum aptum didicimus. *Martinus V.*

Lovanium caput est urbium Brabantiae, coeli et aëris benignitate nulli cedens aliarum. Hic intra muros libera prata, vineae, horti spatiosi, agri, pomaria, campi, dumi, saltus, pascua, parvae sylvulae, parva nemuscula, ut merito hanc sedem ac domicilium optimarum artium delegerint majores nostri. *Barlandus, de Urbibus.*

Conferantur omnia quotquot sunt literarum gymnasia vel in Italia, vel in Hispania, vel in Gallia, vel in Germania, nullum invenietur, quod loci amoenitate et situs jucunditate Lovanio par dici queat. *Goropius, de Antverpia, lib. I.*

Temporis conditae Universitatis status.

Condita est haec Universitas, quando diabolus per Joannem Wicelof docebat Universitates vana gentilitate introductas esse, et quando ejus assecla Joannes Huss Pragensem Universitatem extinxit. In quo statu placuit divinae bonitati studiorum scholam alibi pereuntem Lovanii erigi. Misericors enim Deus, dum fides quibusdam in locis perit, alibi eam plantat.

Error Magdeburgensium.

Ex superioribus luce meridiana clarius est Magdeburgenses ex malae fidei auctoribus falso foundationem Universitatis in centuriam decimam referre. Tempore inquit, Henrici imperatoris Lovaniense gymnasium in Brabantia fundatur. *Gassarus.* Et iterum: Lovaniense gymnasium fundatur a Joanne anno 926. *Fr. Irenicus, lib. XII.*

De abdicatione jurisdictionis.

Abdicatio jurisdictionis intra anni lapsum, quam Martinus V in bulla erectionis urget, facta est anno 1426 a duce, 7 novembris; a praeposito,

decano, capitulo et scholastico, 4 octobris; a burgimagistris, scabinis, consulibus, caeterisque gubernatoribus et juratis oppidi Lovaniensis, 6 septembris. *Ex instrumentis abdicationis.*

Audivi autem clarissimum dominum Wamesium in Universitate referentem, Joannem ducem valde sollicitasse ne hanc abdicationem faceret, sed Martinum cedere noluisse, eo quod ipse, quum Bononiensis esset professor, a laïco magistratu indigne fuisset tractatus.

Nihilominus Joannes dux ejusque successores Universitatem omniaque ejus membra et supposita in suam susceperunt protectionem, securum conductum et custodiam seu salvam guardiam specialem. *Joannes dux, anno 1426, 7 novembris.*

Pulchre autem Fredericus Ænobarbus imperator: « Si litem scholaribus quispiam super aliquo negotio movere voluerit, hujus rei optione data scholaribus, eos coram domino, vel magistro suo, vel ipsius civitatis episcopo, quibus hanc jurisdictionem dedimus, conveniat. Qui vero ad alium judicem eos trahere tentaverit, etiamsi causa justissima fuerit, a tali conamine cadat. Apud Roncalias, anno 1158. Sub titulo: *Ne filius pro patre.* »

De Druidibus Gallorum.

Marcus de Varnewyck, describens flandrice antiquitates Belgii, asserit (cap. 63) Druidas Lovanii regnasse. Quod ab eo probari non possit.

Sed memini Flavium Vopiscum scribere Diocletiano hujus professionis mulierem Tungris praedixisse, quod imperator futurus esset.

De eorum doctrina, religione, privilegiis, Caesar, Cicero, Strabo, Plinius et alii scripserunt.

Caeterum Claudius imperator eorum religionem apud Gallos dirae immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit. *Suetonius.*

Ab eorum obscoenitatibus, foedisque sacrificiorum et divinationum ritibus Romani Gallos averterunt. *Strabo, libro IV Geographiae.*

CAPUT III.

DE PROFESSIONE FIDEI ¹.

Nemo ad gremium et matriculam Universitatis aut ad studia et scholas admittitur, nisi juret sequentia :

Primo quod observabit jura, privilegia, libertates, statuta, ordinationes et consuetudines laudabiles studii Universitatis Lovaniensis ad quemcumque statum in Universitate devenerit, neque laborabit scienter in aliquo quod in praejudicia eorumdem posset redundare.

Secundo quod observabit pacem, tranquillitatem et concordiam dicti studii in se, suis Facultatibus et membris, sub regimine et obedientia unius rectoris.

Tertio quod Universitati et ejus rectori pro tempore existenti in licitis et honestis parebit, ac debitum honorem illi impendet.

Quarto quod ex animo detestatur universa dogmata Martini Lutheri et aliorum quorumlibet haeticorum, quatenus doctrinis veteris et catholicae ac Romanae Ecclesiae adversantur, quodque velit sequi et retinere fidem veterem Ecclesiae praetactae, sub obedientia unius summi pastoris Romani Pontificis.

Quod postremum de religione juramentum quum Pius IV ab omnibus in Universitate exigi intellexisset, peculiari brevi apostolico laudavit et confirmavit, et nunquam intermittere voluit. *Anno 1561, 5 februarii.*

Consideravit autem Universitas, quum hoc juramentum anno 1545 explicatius conderet, valde vigilandum esse ne ipsa inficiatur, quando videbat Germanos et Anglos et populos sibi multo viciniore, Hollandos, Zelandos, Frisios, Flandros, Clivenses et alios multum per haereses turbari et infici. Considerabat hunc morbum velut cancrum serpere (I, *Tim.* II), cujus pernicies tunc demum percipitur, quum carnem exederit et immedicabile malum fuerit; quodque haeretici non palam et aperte sua venena proponant sed subrepentes et penetrantes domos (II, *Tim.* III), eosque dormien-

¹ Vide ad calcem orationis nostrae de *Laudibus quibus veteres Lovaniensium Theologi efferi possunt*, p. 33, notationem de juramentis emittendis

ab iis, qui in ipsam universitatem inscriberentur vel gradibus academicis ornarentur.

tibus Catholicis in medio tritici zizania superseminare, et dormiente Petro, Judam sollicite excubias agere. Considerabat refrigescente caritate multos auribus prurire (II, *Tim.* IV), et ebrium haeresiarcham assumere plebem prava sitientem; et contra tales, ut Moyses ait (*Deut.* XXIX), quam maxime zelum et furorem Domini fumare. Considerabat periculosam esse quamvis minimam infectionem juventutis, quae incauta et novitatis avida, et in malum flexilis est, et quod in juventute percipit fere usque ad senectam et mortem retinere solet. Considerabat infecta Universitatis juventute totam patriam infici, quae exinde accipit pastores, ludimagistros, senatores et patres familias. Considerabat quod omnium Catholicorum oculi intenti sint in Academiam Lovaniensem, velut in matrem quamdam et catholicae fidei doctricem atque tutricem.

Qua stante, multorum animi firmantur, qui vel lapsuri essent, vel vehementer ad lapsum tentarentur, si ipsa laberetur. Considerabat quoque Universitas se sollicitudinem super fide catholica suorum membrorum, ipso naturae et aequitatis jure, debere parentibus christianis ac catholicis, qui filios suos mittant ad disciplinas discendas, non ut per eas Christum vel sponsam ejus Ecclesiam impugnent, sed ut per eas Christo serviant et Ecclesiam ejus aedificent. Et si mater est Universitas omnium suorum membrorum, ut revera est, quid prius et magis sollicite curare debet, quam ut non sinat filios suos in Babylonem haeticam abduci? *Hesselius in scripto quodam de hoc juramento.*

Praeterea decanus et caeteri magistri facultatis theologiae, quum animadverterent multos adolescentes nobilium et divitum harum regionum in exteris locis studentes infici, qui tamen postea pro sua eruditione atque natalibus magistratum vel praelaturam, aut aliud publicum munus administrant, conante satana paulatim quicquid est sanae fidei ita evertere, ut postea catholici regis ejusque consilii zelus nihil remedii adferre possit; desuper literas scripserunt ad illustrissimam ducissam Parmensem, quarum haec est conclusio: «Precatur igitur facultas theologiae per misericordiam Dei et avitum omnium retro ducum Brabantiae zelum, ut Celsitudo tua, edicto regio, ad catholici regis ditionem revocet omnes subditos extra eam studiorum gratia missos, prohibeatque ne quis studiorum gratia exeat, donec, rebus forte mutatis, aliter rex catholicus ordinaverit. Potens est enim rex in suis regionibus optime providere ingenuis adolescentibus,

ut et jura et inferiores disciplinas, linguamque Gallicam quam commo-
dissime perdiscant. Simile edictum rex pro Hispanis emisit, et dux Sa-
baudiae pro subditis suis. Immo Carolus Audax, tuae celsitudinis abavus,
longe minori occasione, anno 1476 jussit adolescentes studiosos ad certum
tempus in academia Lovaniensi consistere. Haec tuae celsitudini sugge-
rimus, scientes, si haec taceremus, nos et Deum et catholicum regem
tuamque Celsitudinem graviter offensuros. Lovanii, 25 maii 1561. »

Hujusmodi admonitionibus catholica Majestas mota ex Lovaniensi uni-
versitate in Gallis Duacensem erexit anno 1562, quae brevissimo tem-
pore quam maxime florere coepit.

Postremum Alma Universitas anno 1579, die 28 novembris, attendens
in multis Belgii oppidis et regionibus catholicae et uniceae religionis exer-
citiium esse extinctum et haereticorum furore eversum. voluit fidei pro-
fessionem a Pio IV praescriptam, quae a professoribus et promovendis
per singulas facultates exigitur, deinceps praestari ab omnibus in matri-
cula academiae inscribendis, aut ad eam undecumque revertentibus,
ipsumque professionis exemplar ab eis perpetuo retineri sub poena pri-
vationis jurium, immunitatum ac privilegiorum. *Acta.*

CAPUT IV.

TESTIMONIA ALIQUORUM DE DIGNITATE UNIVERSITATIS LOVANIENSIS.

Caroli Audacis.

Constitutis in aula monasterii S. Michaelis Antverpiae Roberto de Lacu
rectore, Gerlaco Bont et Petro de Rivo, dominus de Charolois, filius
illustrissimi ducis, praecepit per dominum de Bergis-Supra-Zomam
referri rectori, quatenus ipsum et Universitatem Lovaniensem reputabat
esse nobilium et honorabilium membrum totius patriae Brabantiae, dans et
ordinans eis in conspectu suo primariam loquelam super tres status Bra-
bantiae, nec non status multorum dominorum ibi praesentes. *Relatio rec-
toris anno 1461.*

Andreae Resendii, Lusitani.

Ridet, ubique placet, felix, nullique secundum
Musarum emporium.....

In encomio academiae Lovaniensis ¹.

Philippi secundi, regis catholici.

« In insigni universitate Lovaniensi semper vera et germana doctrina, cum catholica religione conjuncta, ad multorum illustre exemplum eluxit et in dies elucet, atque ab ea non pauci singulares viri tanquam fidei nostrae propugnacula processerunt, et quotidie exoriuntur. *In literis excusatoriis, cur Hispanos generali edicto ad universitates Hispaniae revocaverit, anno 1559, 26 julii.*

« Nunquam de dicta universitate Lovaniensi aliud sensimus, quam quod de vera, catholica et religioni christianae utilissima Academia par est judicare. Illamque ea de causa tam caram semper habemus, tantumque eam fovere et amplecti cupimus, quantum singularis pietas et catholica doctrina, quae in ea viget et docetur, non solum a nobis, verum ab omnibus etiam sensu et animo Christianis promeretur. » *Ibidem.*

Pii IV.

« Lovaniensis universitas constans in primis et firma his temporibus fidei catholicae propugnatrix, et sanctae Romanae ecclesiae devota et fidelis est filia. » *In approbatione quarti juramenti intitulantorum, anno 1561, 5 februarii.*

Gregorii XIII.

« Excellens pietas et singularis eruditio vestra neque eget nostra laudatione, neque eam desiderat. Nam et vestra opera ac labor assiduus in optimarum artium studiis juvandis inque catholica fide tuenda, atque haere-

¹ Encomium illud integrum exstat apud Valerium Andream, *Fast. acad.* p. 400.

ticorum impietatibus confutandis, illustris est, et pietas vestra tam praeclari laboris tam vilem mercedem, humanam nimirum laudem et gloriam, quae sapienter inanis appellatur, minime exspectat. » *Rectori et universitati, pro castigatione Gratiani, anno 1572, die 26 novembris* ¹.

« In tantis tum asperitatibus rerum, tum difficultatibus temporum non minus quam olim in summa tranquillitate, semper claruisse vestra studia in optimis disciplinis colendis edocendisque inque catholica religione non in ista tantum civitate, sed in caeteris etiam istius provinciae locis tuenda, incredibiliter laetati sumus, Deoque gratias egimus, ejusque benignitati vestram pietatem et labores obtulimus. Mittimus vobis duo millia aureorum. » *Rectori et universitatis professoribus, anno 1580, 6 augusti.*

« Quod vos hortemur, ut tales sitis, quales semper fuistis, nihil est. Certum enim habemus, nihil vobis tam curae esse quam Dei gloriam catholicaeque religionis amplitudinem. » *Ibidem* ².

Leonis X.

« Testis est praedictorum errorum seu multorum ex eis, per Coloniensem et Lovaniensem universitates, ut pote agri dominici piissimas religiosissimasque cultrices, non minus docta quam vera ac sancta confutatio, reprobatio et damnatio. » *In bulla contra errores Lutheri.*

Jacobi Middendorpii.

« Lovaniensis Academia in eum splendorem perducta est, ut celeberrimum in Germania omnium literarum emporium florentissimaque academia merito appelletur. »

Erasmi Roterodami.

« Academia Lovaniensis frequentia nulli cedit hodie, praeterquam Parisianae. Numerus est plus minus tria millia, et affluunt quotidie plures. » *Libro XVI epistolarum, Danieli episcopo Gebeldensi, anno 1521.*

¹ Cfr Van de Velde, *Synops. monum.* tom. I, p. 158.

² Vide op. cit. tom. III, p. 897, et Valerii Andreae op. cit. p. 570.

« Est Lovanii coelum quod vel Italico praeferas, non amoenum modo, verum etiam salubre. Nusquam studetur feliciter, quietius, nec alibi felicior ingeniorum proventus. Nusquam professorum major aut paratior copia. Brugis, 1521. » *Erasmus Guilielmo Talaeo, lib. XVIII.*

« Lovaniensis Academia est unicum ornamentum Caesareae apud nos ditionis, sic florens omni genere studiorum ut non cedat Parisiensi. Nec ulla minus infecta est Lutherano negotio. Basileae, 1524. » *Erasmus Joanni Matthaeo Giberto, Clementis VII datario.*

CAPUT V.

DE RECTORE.

Habet Universitas praefatos tres, rectorem, cancellarium et conservatorem.

Quam amplam autem Martinus V dederit magnifico domino rectori in supposita Universitatis eorumque familiares jurisdictionem, ex bulla fundationis obvium est.

Alexander VI anno 1501, 15 januarii, concessit eidem usum censurarum.

Praecedat, tanquam vicarius summi pontificis, omnes in quacumque dignitate constitutos, exceptis legatis a latere.

Unde nonnulli meminerunt Carolum V imperatorem a dexteris suis rectorem reverenter posuisse, nominatim Judocum Ravenstein.

Ausi tamen fuerunt in supplicatione contrarium attentare, ex mala quorundam suggestionem, duo gubernatores civitatis hujus, sub rectoribus pro tempore Craesbequo et me, quasi ipsi gubernarent civitatem et universitatem. Sed honeste et graviter admoniti, id secundo non fecerunt.

Consules, magistratus et clarissimi quique viri, denique omnium dignitatum gradus academiae principi assurgunt, et decedunt de via. *Barlandus, de Urbibus.*

Quum in publicum prodit, ante eum it accensus, quem bedellum recepto illic vocabulo appellant, pone sequuntur famuli. Exeunti ad comitia, quae certis anni temporibus indici solent, plures accensi anteambulantes, manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. *Ibidem.*

Est haec semestris dignitas, quemadmodum apud Romanos olim dictatura fuit sex dumtaxat mensium. *Idem.*

Primis aliquot annis fuit dignitas trimestris. Unde quo ad secundum trimestre convocatur Universitas ad eligendum novum rectorem, vel continuandum eundem.

Eligitur a quinque facultatum quinque intrantibus, qui antequam conclave intrent, jurant quod eligent, vel postulabunt, sine personarum acceptione, in rectorem personam quam putant idoneam et sufficientem studio generali oppidi Lovaniensis, in aliqua facultate birretatum, clericum, non conjugatum, non bigamum, non religiosum, satis locupletem et divitem, qui se duosque ministros honeste exhibere poterit; quodque non fecerint aliquam conventionem cum aliquo super ista electione.

In rectorem electus juramento suo addit fidei professionem.

CAPUT VI.

CREATIO PRIMI RECTORIS.

Anno 1426, die 6 septembris, hora vesperarum vel quasi, Wilhelmus Nepotis, magister in artibus et baccalaureus in jure canonico, ecclesiae S. Petri scholasticus, a Martino V in literis foundationis primus rector per quinquennium nominatus, sponte privilegio suo cessit, et illud resignavit in doctores et magistros novellam universitatem repraesentantes.

Dummodo ipse in primum rectorem assumeretur, id ipsum tamen resignaturus aut ultro, aut ad petitionem oppidi, vel tempore quod Universitas in statutis praescribit.

Qua resignatione peracta, venerabiles, egregii, providi et circumspecti viri domini doctores et magistri Joannes de Groesbeck, legum, Nicolaus de Prumea, juris utriusque, Joannes de Neele, medicinae doctores et artium magistri, Gerardus de Bruyn, in artibus magister, et in jure canonico baccalaureus, decanus ecclesiae S. Petri, Henricus de Mera, licentiatus in decretis, Godefridus Cromme, Joannes de Tuldel, Joannes Rodolphi, alias Flamingi, de Aldenardo, Petrus de Renesse, Joannes Stockelpot, Godefridus de Gomple, Joannes Keerman et Amelricus de Sichenis, in artibus

magistri, ac Joannes de Platea, alias de Lira, in jure canonico baccalaureus ipsum Wilhelmum Nepotis in primum rectorem assumpserunt.

In cujus evidens signum traditum et suprapositum erat capiti capitium cum pennis de vario foderatum.

Qui mox praestitit juramentum, quod ipse officium rectoratus sui, juxta statuta Universitatis ordinanda et alias prout melius ad honorem et utilitatem ipsius Universitatis et suppositorum nosceret fore, fideliter et diligenter pro posse et nosse deberet exercere.

Inter testes aderat Aristoteles de via lapidea, clericus Cameracensis. Acta sunt haec in domo consulatus. *Instrumentum creationis.*

Resignavit officium rectoratus anno sequenti, die penultima maii.

CAPUT VII.

SERIES RECTORUM TRIMESTRIUM¹.

1427. Wilhelmo Nepotis, primo rectori, successerunt :
 Joannes a Groesbeck, legum doctor, I.
 Joannes de Neele, medicinae doctor, I.
 Gerardus de Bruyn, decr. bacc., decanus S. Petri.
1428. Radulphus de Beringhen, decr. lic., I.
 Daniel de Blochem, baccal. legum.
 Henricus Custodis, ab Oosterwyck, med. doc., I.
 Joannes de Hasselt, fuit primus Ethicus.
1429. Nicolaus de Prumea, J. U. doctor, I.
 Henricus de Piro, legum doctor. Obiit Carthusianus.
 Henricus Custodis, II.
 Joannes Rodolphi, alias Flamingi, J. U. bacc., I.
1430. Henricus de Mera, decr. doctor, decanus S. Petri.
 Joannes de Susantlegier, legum licentiatus.
 Joannes de Wesalia, medicinae doctor, I.
 Petrus de Renesse, artium mag.

¹ Cfr Valerii Andreae, *Fast. acad.* p. 58.

1431. Nicolaus de Prumea, II.
Henricus Retheri, dictus Yserenhoofst, legum doctor.
Joannes de Neele, II.
Joannes de Voerda, decretorum licentiatuſ.
1432. Arnoldus de Reysenaelde, decretorum doctor, I.
Joannes Lichton, de Scotia, J. U. baccalaureus.
Joannes Stockelpot, Lovaniensis, med. lic., I.
Joannes Block.
1433. Nicolaus Midy, sacrae theologiae doctor.
Arnoldus de Reysenaelde, II.
Joannes de Groesbeck, II.
Joannes de Wesalia, II.
1434. Antonius Haneron, fundator collegii S. Donatiani.
Jacobus de Vinea, sacrae theologiae bacc.
Arnoldus de Reysenaelde, III.
Joannes Aurifabri, decretorum bacc., legum lic. Obiit praeses
Luxemburgensis.
1435. Henricus Scatter, med. doctor, chorepiscopus.
Nicolaus Lamberti, de Valkenisse, I.
Heimericus de Campo, sacrae theologiae professor, I.
Ludovicus de Garsiis, J. U. doctor, clericus camerae apostolicae.
1436. Joannes Guilbaut, legum bacc., archidiaconus Ostrovandiae.
Sebertus de Neele, med. doctor.
Joannes de Stembier, Leodiensis, bacc. leg., lic. decretor.
Andreas Horenbort, de Capella, bacc. dec. et theol. bacc. form.
1437. Henricus de Mera, decanus, II.
Joannes de Gronsselt, legum doctor, I.
Joannes de Neele, III.
Henricus de Loe, S. Th. bacc. Moritur Carthusianus.
1438. Heimericus de Campo, II.
Ludovicus de Garsiis, II.
Joannes de Gronsselt, II.
Joannes de Wesalia, III.
1439. Hermannus Brant, in decretis baccalaureus.
Heimericus de Campo, III.

- Wilhelmus Bont, Lovaniensis, J. U. doctor.
 Antonius Laecman, Zonnius, leg. doc., dec. lic.
1440. Nicolaus Lamberti, de Valkenisse, medicinae doctor, II.
 Wilhelmus de Eechaute, artium mag.
 Henricus de Dunghen, S. Th. bacc. formatus.
 Joannes de Reysen, dec. doctor. Abeunti Heidelbergam succedit
 Joannes Rodolphus, lic. in decretis, II.
1441. Joannes Rym, legum lic., decretorum baccalaureus.
 Joannes Sucquet, medicinae licent., I.
 Godefridus de Gomple, primus regens et fundator Castri.
 Andreas Horenbort, de Capella, S. Th. prof., II.
1442. Conradus de Mera, J. U. doctor, miles in armis, II.
 Joannes de Gronsselt, III.
 Adamus Bogaert, de Dordraco, med. doctor, I.
 Joannes Widoe, de Herck, primus fundator Porci.
1443. Heimericus de Campo, IV.
 Wilhelmus Bont, decanus et cancellarius, II.
 Generosus D. Dionysius de Montmorency, legum licentiatus.
 Joannes Stockelpot, med. doct., pastor S. Jacobi.
1444. Georgius Bourgensis, de Cameraco, legum lic.
 Joannes Varenacker, S. Th. prof., plebanus S. Petri.
 Conradus de Mera, II, dominus de Grasen, de statibus Brabantiae.
 Gerlachus Bont, Lovaniensis, legum doctor, I.
1445. Ludovicus de Vettere, de Diest, med. doctor.
 Andreas Colin, de Furnis, dec. licentiatus.

CAPUT VIII.

SERIES RECTORUM SEMESTRIUM.

- Andreas Horenbort, de Capella, III.
1446. Radulphus de Beringen, dec. doctor, II.
 Joannes de Gronsselt, IV.
1447. Joannes Sucquet, med. doctor, II.

- Carolus Viruli, I, primus regens et fundator Lili.
1448. Heimericus de Campo, V.
Wilhelmus Bont, III.
1449. Gerlacus Bont, II.
Adamus Bogaert, II.
1450. Gerardus Sprunck, de Harlem, S. Th. bacc. formatus.
Joannes Varenacker, II.
1451. Radulphus de Beringhen, III.
Antonius Laccman, II.
1452. Joannes Stockelpot, III.
Henricus de Ghestel, S. Th. bacc. formatus. Obiit decanus Mechlin.
1453. Heimericus de Campo, VI.
Balduinus Henrici, de Zierixzee, decretorum doctor, I.
1454. Joannes de Gronsselt, V.
Adamus Bogaert, III.
1455. Leonardus Kriecke, de Bruxella, S. Th. baccalaureus.
Joannes Ruysche, Mechliniensis, S. Th. professor.
1456. Joannes de Lizura, decretorum doctor, praepositus Moguntinus.
Joannes de Gronsselt, VI.
1457. Joannes Spierinck, medicinae doctor, physicus ducis, I.
Petrus de Rivo, S. Th. bacc. formatus, I.
1458. Ægidius Bailloel, S. Th. professor.
Balduinus de Zierixzee, II.
1459. Gerlachus Bont, III.
Adamus Bogaert, IV.
1460. Joannes de Cloetinghen, S. Th. licent.
Joannes Varenacker, III.
1461. Balduinus Henrici, de Zierixzee, III.
Joannes de Papenhoven, legum lic., I.
1462. Joannes Spierinck, II.
Joannes de Wellis¹, med. bacc., I.
1463. Henricus de Zoemeren, S. Th. prof.
Robertus de Lacu, J. U. doctor, I. Fundavit collegium S. Ivonis.

¹ Cognomento *Peymans*.

1464. Joannes de Gronsselt, VII.
Adamus Bogaert, V.
1465. Carolus Viruli, II.
Ægidius Bailloeuil, II.
1466. Petrus Boet, decretorum licentiatus.
Joannes de Papenhoven, legum doctor, II.
1467. Joannes de Wellis, med. doctor, II.
Reinerus Rotarius, de Leodio.
1468. Gaspar de Kinschot, de Turnhout, S. Th. bacc. formatus.
Wilhelmus Arnoldi, de Delft, J. U. doctor, I.
1469. Nicolaus Blyen, legum doctor, I.
Adamus Bogaert, VI.
1470. Nicolaus de Mera, Trajectensis, regens Porci, I.
Joannes Varenacker, IV.
1471. Robertus de Laeu, II.
Gerlacus Bont, IV.
1472. Joannes de Wellis, III.
Henricus Stoep, legum baccalaureus.
1473. Ægidius Bailloeuil, III.
Joannes de Thimo, Lovaniensis, dec. lic., post doctor et decanus.
1474. Nicolaus Kant, legum lic.
Adamus Bogaert, VII.
1475. Nicolaus Pannetier, de Binchio, J. U. bacc., I.
Nicolaus Hellis, S. Th. professor, I.
1476. Robertus de Laeu, III.
Nicolaus Blyen, II.
1477. Petrus de Rivo, S. Th. professor, II.
Lottinus Viruli.
1478. Petrus de Rivo, III.
Theodoricus de Viridi Valle, decret. lic., I.
1479. Joannes vander Neele, legum lic.
Joannes Spierinck, III.
1480. Nicolaus de Mera, II.
Nicolaus Hellis, de Duynkerecke, II.
1481. Hugo de Hove, J. U. lic.

- Arnoldus Wiemerssche, de Aldenardo, J. U. doctor.
1482. Joannes Moeselaer, S. Th. bacc.
Nicolaus Viruli.
1483. Joannes Moederloes, S. Th. prof., I.
Wilhelmus Arnoldi de Delft, II.
1484. Ludovicus Roelants, J. U. doctor.
Joannes Inchy, alias de Vallibus, med. doctor, I.
1485. Hugo de Nova Ecclesia, S. Th. bacc. formatus.
Joannes Bourgeois, a Montibus, S. Th. prof., I. Obiit episc. Cyrenensis.
1486. Joannes Noyens, de Turnhout, J. U. doctor.
Joannes Gousseti, Burgundus, J. U. doctor. Obiit decanus Morinorum.
1487. Gaspar Ægidii, de Leodio, med. doctor, I.
Balduinus Wilhelmi, de Delft, S. Th. bacc. formatus.
1488. Nicolaus Hellis, III.
Conradus de Sarto, decr. lic.
1489. Petrus de Thenis, Lovaniensis, J. U. doctor.
Joannes Inchy, II.
1490. Nicolaus de Mera, III.
Joannes Bourgeois, II.
1491. Henricus Deulin, de Minori Villa, decr. doctor.
Simon de la Valle, Montferratensis, J. U. doctor.
1492. Gaspar Ægidii, de Leodio, II.
Nicolaus Pannetier, II.
1493. Adrianus Florentii, de Trajecto, S. Th. prof., I, postea Pontifex.
Joannes Godefridi, de Scondee, alias de Wemelinghen, J. U. doctor, I.
1494. Florentius Oom, de Wyngaerde, Haejensis, J. U. doctor.
Gaspar Ægidii, de Leodio, III.
1495. Gualterus de Beka, decr. licentiatus, I.
Nicolaus Hellis, IV.
1496. Petrus Lapostole, J. U. doctor, I.
Petrus de Thenis, II.
1497. Gaspar Ægidii, IV.

- Gislenus Lodyck , de Poperingis.
1498. Joannes Moederloes , II.
Theodoricus de Viridi Valle, dec. doctor, II.
1499. Gabriel de Mera , Bredanus, J. U. doctor, I.
Leo Outers, de Hondischota, I. Obiit cancellarius Leodiensis.
1500. Wilhelmus Joannis Lamberti, de Vianen, S. Th. bacc. formatus, I.
Adrianus Florentii, decanus, II.
1501. Petrus Lapostole, II.
Gualterus de Beka, J. U. doctor, II.
1502. Jacobus Bogaert, Valencenensis, med. doctor, I.
Leo Outers, decret. licentiatus, II.
1503. Joannes Bourgeois, III.
Joannes de Wemelighen, II.
1504. Nicolaus Everardi, de Middelburg, J. U. doct. Obiit praeses Mech.
Jacobus Bogaert, II.
1505. Theodoricus Thomae, de Amstelredamis.
Joannes Briaert, ab Ath, S. Th. prof., I.
1506. Dionysius Vischaven, Mechliniensis, decr. doctor, I.
Gabriel de Mera, II.
1507. Jacobus Bogaert, III.
Joannes Nicolai de Palude, Lovaniensis, dec. lic., I.
1508. Wilhelmus de Vianen, S. Th. prof., II.
Petrus de Thenis, III.
1509. Gualterus de Beka, III.
Jacobus Bogaert, IV.
1510. Antonius Wilhelmi, de Poortvliet, S. Th. bacc. formatus.
Joannes Briaert, II.
1511. Dionysius Vischaven, II.
Petrus Zelle, de Herenthals, legum doctor, dec. bacc., I.
1512. Jacobus Bogaert, V.
Nicolaus Coppin, de Montibus, I.
1513. Lucas Gualteri de Conitio, S. Th. prof.
Joannes Nicolai de Palude, decr. doctor, II.
1514. Gabriel de Mera, III.
Joannes Calaber, Lovaniensis, med. doctor, I.

1515. Joannes Nevius, de Hondischota, S. Th. bacc.
Antonius Crabbe, Mechliniensis, S. Th. prof.
1516. Dionysius Vischaven, III.
Petrus Zelle, II.
1517. Joannes Calaber, II.
Cornelius de Werdt, S. Th. lic.
1518. Joannes Driedo, de Turnhout, S. Th. prof., I.
Cornelius de Meldert, Bruxellensis, decr. doctor.
1519. Joannes Stephani, de Nivella, legum doctor, antea pensionarius.
Joannes Calaber, III.
1520. Nicolaus Coppin, de Montibus, II.
Godescalcus Rosemond, ab Eyndhovia, S. Th. prof.
1521. Judocus Vroye, de Gavere, J. U. doctor, I.
Ludovicus de Schore, Lovaniensis, J. U. doct. Obiit praeses Bruxell.
1522. Ægidius de Pape, Lovaniensis, med. doct.
Matthaeus Theodorici, de Dordraco, S. Th. Lic.
1525. Martinus Dorpius, a Naeldwyck, S. Th. prof.
Joannes Nicolai de Palude, III.
1524. Petrus Zelle, III.
Adamus Bogaert, Lovaniensis, med. doctor. Obiit Franciscanus.
1525. Joannes Scarley, Buscoducensis, S. Th. bacc.
Wilhelmus Vianensis, plebanus.
1526. Joannes Nicolai de Palude, IV.
Joannes de Myrica, Lovaniensis, J. U. doctor. Sub eo habitus est
jubilaeus universitatis ante C annos erectae¹.

CAPUT IX.

SERIES RECTORUM POST JUBILAEUM UNIVERSITATIS.

1527. Leonardus Willemaers Lovaniensis, med. lic., post doctor.
Joannes Sandraert, Montensis, S. Th. lic.
1528. Nicolaus Coppin, decanus et cancellarius, III.
Gabriel de Mera, IV.

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 598.

1529. Judocus Vroye, II.
Joannes Heems, ab Armenteria, med. doctor, I.
1530. Petrus Curtius, Brugensis, I. Obiit episcopus Brugensis.
Ruardus Tapper, ab Enchusia, S. Th. prof., I.
1531. Michaël Driutius, de Casleto, J. U. doctor, I. Fundator collegii.
Hermes de Winghe, Rotnacensis, J. U. doctor, I.
1532. Joannes Heems, II.
Paulus Roelsius, à Teneramunda, I.
1533. Joannes Driedo, II.
Cornelius Meldert, I.
1534. Hermes de Winghe, II. Obiit consiliarius secreti consilii.
Michael Driutius, II.
1535. Joannes Heems, III.
Joannes Doyc, Valencenensis, S. Th. prof.
1536. Joannes Lobellius, Boloniensis, dec. doct.
Hermes de Winghe, III.
1537. Jacobus Latomus, S. Th. professor.
Christophorus de Hanebeke, de Fraxinis, S. Th. lic.
1538. Petrus Curtius, S. Th. prof., pastor S. Petri, II.
Michael Driutius, officialis, III.
1539. Gishertus Loyden, Buscoducensis, J. U. lic., I.
Hieronymus Blyoul, Bruxellensis, J. U. doctor, I.
1540. Servatius Heynsberch, Aquensis, S. Th. lic.
Joannes Leonardi, Hasselensis, S. Th. prof. Obiit Tridenti.
1541. Reinerus Joannis, ab Enchusia, J. U. doctor.
Gishertus Loyden, II.
1542. Carolus Gosuinus, Brugensis, med. doctor, I.
Petrus Montanus Buretius, a Parwais, S. Th. lic. Moritur Franciscanus.
1543. Franciscus de Campo, Sonnius, S. Th. prof. Obiit episc. Antverp.
Hieronymus Blyoul, II.
1544. Robertus Martenius, a Valencenis, J. U. licent.
Tilmannus Clerici, a Geldorp, S. Th. lic., praesidens collegii pontif.
1545. Judocus Ravesteyn, Tiletanus, S. Th. lic., I.
Ruardus Tapper, decanus et cancellarius, II.

1546. Cornelius Meldert, II.
Ludovicus Pory, Aeriensis, J. U. doctor.
1547. Carolus Gosuinus, II.
Joannes Steinaerts, Merius seu de Meuwen, S. Th. bacc., regens
Castr.
1548. Petrus Curtius, III.
Vulmarus Bernaerts, Eeckensis, J. U., lic., I.
1549. { Nicolaus Dervilleers, Montensis, J. U. lic., I.
{ Idem, II.
1550. Joannes Heems, IV.
Judocus Ravesteyn, S. Th. prof., II.
1551. Vulmarus Bernaerts, II.
Christophorus Gent, Noviomagus, J. U. doctor.
1552. Joannes de Winckele, Lovaniensis, med. doct. Fundator collegii.
Ægidius Delleren, de Bossuto, S. Th. lic., regens Porci.
1553. Michael du Bay, ab Atho, S. Th. prof.
Vulmarus Bernaerts, III.
1554. Nicolaus Dervilleers, J. U. doctor, III.
Joannes a Bononia, Siculus, S. Th. doctor.
1555. Henricus Damen, de Mierloa, S. Th. lic., pastor S. Quintini.
Adamus Cornelii, a Brouwershaven, S. Th. prof.
1556. Vulmarus Bernaerts, IV.
Nicolaus Dervilleers, IV.
1557. Wernherus Aerdius, Noviomagus, S. Th. lic.
Joannes Valerius, Aldenardensis, J. U. lic.
1558. Martinus Balduini, Rithovius, S. Th., prof., nunc episcopus
Iprensis.
Joannes Molinaeus, Gandensis, J. U. doctor.
1559. Gisbertus Loyden, III.
Paulus Roelsius, II.
1560. Petrus Morelius, de Gondicuria, S. Th. bacc., regens Falconis.
Joannes Hessels, Lovaniensis, S. Th. prof.
1561. Vulmarus Bernaerts, V.
Gisbertus Loyden, IV.
1562. Jacobus Varentius, Aldenardensis, med. doct. I.

- Franciscus Favillon, ab Ochia, S. Th. bacc., regens Lili.
1565. Augustinus Hunnaeus, Mechliniensis, S. Th. prof.
Gerardus Caverson, Lovaniensis, J. U. lic., postea doctor.
1564. Matthaeus Ruckebusck, Casletensis, J. U. lic., nunc decanus Cameracensis.
Jacobus Varentius, II.
1565. Joannes Laet, a Baerdwyck, S. Th. lic., regens Castri.
Thomas Gozaeus, a Bello Monte, S. Th. prof.
1566. Joannes de Bievenc, Montensis, J. U. doctor, I.
Gisbertus Loyden, V.
1567. Carolus Gosuinus, III.
Matthaeus Boden, a Rueckelinge, S. Th. bacc., regens Porci, I.
1568. Cunerus Petri, a Brouwershaven, S. Th. prof. Obiit episcopus Leovardiensis.
Vulmarus Bernaerts, VI.
1569. Gisbertus Loyden, VI.
Jacobus Varentius, III.
1570. Melchior Ryckenroy, Mechliniensis, S. Th. lic.
Cornelius Reineri, Goudanus, S. Th. prof.
1571. Gisbertus Schoock, Bommelensis, J. U. doctor.
Stephanus van Craesbeeck, Lovaniensis, J. U. doct., I.
1572. Idem, II.
Jacobus Sapidus, Athenis, S. Th. lic., regens Falconis.
1573. Robertus Malcotius, Lovaniensis, S. Th. prof., pastor S. Petri.
Theodoricus Peelmans, Mierdensis, J. U. lic., I.
1574. Stephanus van Craesbeeck, III. Fit consiliarius Brabantiae.
Joannes Blondel, Insulensis, medec. lic., nunc doct. Societatis Jesu.
1575. Matthaeus Boden, S. Th. lic., II.
Henricus Gravius, Lovaniensis, S. Th. prof.
1576. Joannes de Bievenc, II.
Joannes Kemmerius, Lovaniensis, J. U. lic., I.
1577. Cornelius Reineri, II.
Theodoricus Peelmans, II.
1578. Joannes Molanus, Lovaniensis, S. Th. prof.

- Ludovicus Leunius, Lovaniensis, J. U. lic., moritur 2 octobris¹.
 Joannes Kemmerius, II.
1579. Joannes Bellenus, Rhetensis, J. U. lic.
 Joannes Gualteri Wiringus, Lovaniensis, med. doct., I. Viduus fit
 presbyter.
1580. Jacobus Baius, Melinensis, S. Th. lic., decanus S. Jacobi.
 Joannes Lens, Belliolanus, S. Th. prof.
1581. Joannes Verhagen, a Riemenant, J. U. doctor, officialis, I.
 Idem, II.
1582. Joannes Gualteri Wiringus, II.
 Henricus Cuyckius, Culenburgensis.
1583. Embertus Everaerts, Arendoncanus, S. Th. lic.
 Joannes Verhagen, III.
1584. Idem, IV.
 Joannes ab Egmont, Antverpiensis, S. Th. doctor.
1585. Petrus a Fine, Liropius, S. Th. lic.².

¹ Ab alia manu adscriptum est: « Quod nunquam ante eum visum et tanquam res nova carmine funebri ejus annotatum est hoc disticho sequenti, quo simul comparatur D. Joanni Austriaco mortuo eodem semestri :

si rector, DVctor pereant, Ubi Caetera CLassIs?
 praefVIt hIC MartI, praefVIt Iste togae. »

² Fastorum rectoralium seriem continuam, a Molani aetate usque ad Academiae dispersionem labente saeculo XVIII factam, hoc loco adjicere lubet, quae quidem series ex actis academicis collecta est.

1585. Petrus a Fine, Liropius, S. Th. lic., pastor ad S. Quintinum, I.
 Aegidius Wallius, Brugensis, S. Th. doct.
1586. Joannes de Bievenc, J. U. doct., III.
 Petrus Gudelinus, Athenis, J. U. lic. et prof.
1587. Joannes Gualteri Wiringus, med. doct., III.
 Hieronymus Bogardus, Lovaniensis, in Divi Petri canonicus.
1588. Henricus Cuyckius, S. Th. doct., vicarius

generalis et officialis archiepiscopi Mechliniensis.

Nicolaus Goblet, Lovaniensis, J. U. doct.

1589. Petrus Gudelinus, J. U. lic., creatus tum doctor.

Nicolaus de Leuze, a Fraxinis, S. Th. lic., postulatus a Facultate med.

1590. Idem in Facultate artium.

Jacobus Jansonius, Amstelodamensis, S. Th. doctor.

1591. Joannes de Bievenc, J. U. doct., IV.

Ludovicus Carrion, Brugensis, J. U. doct.

1592. Adrianus Romanus, Lovaniensis, med. lic.
 Joannes de Pieremont, Bruxellensis, regens Lili.

1593. Joannes Clarius, Tungrens, S. Th. doct.

Idem, II, postulatus a Facultate SS. canon.

1594. Gerardus Corselius, Leodiensis, J. U. doct.
 Thomas Fienus, Antverpiensis, med. doct. et prof.

1595. Petrus a Fine, Liropius, II.

Thomas Stapletonus, Anglus, S. Th. prof.

1596. Joannes Wiringus, Campensis, J. U. doct.

CAPUT X.

DE CANCELLARIO.

«Praepositum cancellarium studii perpetuo esse volumus si illic praesens fuerit, alioquin decanum ecclesiae (*S. Petri Lov.*) pro tempore existentis sive alios ab eis deputandos.» *Martinus V, fundator.*

- Jacobus van Haecht, Lovaniensis, J. U. doct. et can. prof. ordin.
1597. Joannes Dillenus, S. Th. lic., postulatus a Facultate med.
- Lambertus Damidde, Leodiensis, J. U. lic., regens Lillii.
1598. Jacobus Baius, S. Th. doct., II.
Petrus Vermy, Ultrajectinus, J. U. doct., I.
1599. Gerardus Corselius, J. U. doct., II.
Thomas Fienus, med. doct., II.
1600. Petrus a Fine, Liropius, S. Th. lic., III.
Samuel Loyaerts, Attenhovius, S. Th. doct.
1601. Stephanus Weyms, a Voerda, J. U. doct. et prof.
Gerardus Corselius, J. U. doct., III.
1602. Joannes Malderus, S. Th. doct., postulatus a Facultate med.
Servatius Sassenus, Lovaniensis, S. Th. lic., regens paedagogii Porci.
1603. Joannes van Hamme, Lovaniensis, S. Th. doctor.
Stephanus Weyms, J. U. doct., II.
1604. Gerardus Corselius, J. U. doct., IV.
Thomas Fienus, med. doct., III.
1603. Laurentius Zoënius, Breënsis, S. Th. lic., regens paedagogii Falconis.
Wilhelmus Fabricius, Noviomagus, S. Th. doct.
1606. Petrus Vermy, J. U. doct., II.
Gerardus Corselius, J. U. doct., V.
1607. Joannes Paludanus, Mechliniensis, S. Th. doct., postulatus a Facultate med., I.
Franciscus Dralantius, S. Th. lic., regens paedagogii Porci.
1608. Jacobus a Castro, Amstelodamensis, S. Th. doct.
Petrus Vermy, J. U. doct., III.
1609. Gerardus Corselius, J. U. doct., VI.
Joannes Buterne, Braniensis, S. Th. bacc. et J. U. lic., regens Castri, postulatus a Facultate med.
1610. Idem, II, in Facultate artium.
Wilhelmus Mercerus, ab Atho, S. Th. doct.
1611. Andreas del Vaulx, Andanensis, J. U. doct. et decret. prof. reg.
Joannes Peelmans, Silvaeducensis, J. U. doct., I.
1612. Idem, II, postulatus a Facultate med.
Joannes Massen, Leodiensis, S. Th. lic., regens Lillii.
1613. Ægidius du Bay, Athenis, S. Th. doct.
Petrus Vermy, J. U. doct., IV.
1614. Gerardus Corselius, J. U. doct., VII.
Idem, VIII, postulatus a Facultate med.
1615. Antonius Vossius, Ultrajectensis, S. Th. lic., regens Falconis.
Joannes Paludanus, S. Th. doct., II.
1616. Adrianus de Proost, Gandensis, J. U. doct.
Gerardus Corselius, J. U. doct., IX.
1617. Joannes Wiggers, Diestensis, S. Th. doct., postulatus a Facultate med.
Joannes van T'Stetch, Mechliniensis, J. U. doct.
1618. Joannes Wiggers, S. Th. doct., II.
Adrianus de Proost, J. U. doct., II.
1619. Adrianus Baccx, Mechliniensis, J. U. doct., praeses collegii Buslidiani, canonicus et cantor in D. Petri, post decanus et ca-

Vocantur autem praepositus et decanus cancellarii. Substituti aut deputati nominant se vice-cancellarios aut pro-cancellarios. Neque eis datus locus cancellarii, nisi facientibus actum cancellariatus.

Rogerium a Taxis praepositum, dum licentiatos crearet, audivi se nominantem cancellarium perpetuum.

Circa hanc dignitatem motae sunt aliquot difficultates, quae mihi quinque occurrunt. Wilhelmus ab Ascha, praepositus, praesens, ut opinor, sed

- nonicus in Oorschoto.
 Joannes Sturmus, Mechliniensis, medicin. doct. et matheseos prof. reg.
1620. Raphaël Gemma, Lovaniensis, Cornelii med. doctoris filius, baptizatus in D. Petri novembri anno 1566; anno 1593 erat capellanus D. Petri, anno 1594 etiam pastor in Lovenjoul, canonicus et scholasticus ecclesiae D. Petri.
 Henricus Rampen, Huiensis, S. Th. doct. et prof., 5 aprilis anno 1598 vice-pastor D. Petri, anno 1605, die 23 sept. scholasticus et canonicus. Obiit 21 januarii anno 1625, aetat. 57 anno. Jacet in D. Petri in sacello S. Sacramenti, *onder het tafereel van Valckenborgh.*
1621. Andreas del Vaulx, J. U. doct., II.
 Jacobus du Bay, Athenis, J. U. lic. et prof. cod. extraord.
1622. Gerardus de Villers, Lovaniensis, medicinae doct. et prof. ordin.
Conventum est anno 1446 cum magistro Arnaldo per deputatos facultatis, ut pro tribus quinternis exemplaris habeat unum equitem aurcum, et ipse deliberet incaustum nigrum et rubeum, sed azurchum, blavium et pergamenum Facultas, et ut exemplar relegat et sua manu corrigat. *Acta.*

Scrpsit ad eum Dionysius Carthusianus epistolam de pueris qui iverunt ad S. Michaëlem.

Heimerici de Campo circa quartum Sententiarum, secundum viam Scoti, scriptum manu sua est in monasterio Parchensi. *P. Crabbe.*

Scrpsit ad Bethlehemensis canonicos, clausuram profitentes, tractatum de laude solitudinis, qui in eorum bibliotheca in duobus exemplaribus conservatur.

Conscripsit praeterea Apologiam, cur recesserit a concilio Basileensi, et Eugenio IV adhaeserit.

Epistolam ad Martinum V, contra Bohemos.

Tractatum de imagine Christi de cruce depositi, et in sinum matris funerali linteo involuti.

¹ De ipsius vita et scriptis vide Paquot, *Mémoires*, t. V, p. 151.

Et alia non edita. *Indices.*

Conscripta Basileae in facto de S. Brigitta, in duobus voluminibus rubeo coopertis, ejus esse testatur Universitas. *Liber II Actorum, folio 14.*

Notatur quoque in indicibus dialogus ejus cum Godefrido de Campo, genitore suo, decano synodi Woencelensis.

Andreas Horenbort.

Andreas de Capella, alias dictus Horenbort, dioecesis Trajectensis. *Matri-
cularia anni 1432.*

Daniel de Nissa et Joannes de Wemeldinghe, executores reverendi magistri nostri Andreae de Capella, tradunt anno 1433, penultima maii, nobis magistro Heimerico de Campo, rectori pro tunc Universitatis, Joanni Varenacker vice-decano, et Joanni de Bomalia, collegium facultatis theologiae repraesentantibus, libros quos collegio Facultatis legavit. *Inventarium.*

In priori rectoratu suo nominatur in jure canonico baccalaureus et in sacra theologia baccalaureus formatus. *Anno 1436.*

Joannes a Wininghem ¹.

Lectura magistri nostri Joannis a Wininghem, Ordinis Praedicatorum, in epistolam ad Romanos est in bibliotheca Praedicatorum. Venit ipse Lovanium, sacrae theologiae doctor, anno 1433.

Joannes de Bomalia ².

Anno 1448 erat Joannes de Bomalia artium magister, Ordinis Praedicatorum, de consilio Facultatis artium. *Acta facultatis.*

Anno 1450 magistratus lectionem theologicam domini Joannis de Wininghem aegrotantis confert, post ejus mortem, Joanni de Bomalia priori Praedicatorum, sub onere ut intra annum fiat doctor. *In archivis, liber B. folio 137.*

¹ Seu *Joannes de Wyningen*, cujus nomen supra p. 241 in necrologio Praedicatorum non recte legitur *Joannes de Wimegher*.

² Vide supra p. 241.

Scriptis in Threnos, Proverbia, Ecclesiasten, Apocalypsim. *P. Crabbe*.
 Scripsit tractatum contra monachos proprietarios, qui editus est Parisiis
 a Marnessio, cum aliis ejusdem argumenti scriptoribus.
 Est autem Bomalia vicus in Gallicante Brabantia.

Joannes de Beetz, Carmelita.

« Hic jacet inhumatus venerandus pater, magister Joannes de Beetz, sacrae paginae professor eximius, regens ac ordinarie legens in theologica Facultate almae Universitatis studii Lovaniensis. Qui obiit anno 1470, sexta die mensis junii. » *Saxum in choro Carmelitarum Thenis.*

Scripsit praeceptorium in decalogum, impressum anno 1486, in-folio, Lovanii apud Ægidium van Heerstraeten, et alibi in-8°.

Trithemius in libro de scriptoribus, et in secundo libello de scriptoribus Carmelitis, plura recenset, sed non edita.

Joannes Varenacker.

Joannes Varenacker, Flander, de villagio Ruyslede, ecclesiae S. Petri postquam incorporata est Facultati sacrae theologiae, primus plebanus, et decanus concilii Lovaniensis, cum fratre suo Wilhelmo thesaurario, fundavit in Castro quatuor portiones 22 florenorum, in collegio Theologorum duas 25 florenorum, aliaque nonnulla pia legata ¹.

Fuit elegantis staturae, blandi colloquii, ingenii prudentis et liberalis, apud omnes doctos in maximo pretio habitus.

Quodlibeta ejus, unum de superfluo clericorum, alterum de dispensatione in jure naturali aut divino, excusa sunt Parisiis annis 1512 et 1544.

Obiit anno jubilaeo 1475, die 4 januarii. Lamina marmoris ejus ante altare pastoratus.

Ejus lectura in psalmum *Beati immaculati*, in librum Sapientiae et in quatuor Evangelistas est in Carthusia.

Sacramentale, in Bethlehem, *k*, 29.

Lecturae in Matthaeum, in secundo collegio Theologorum.

¹ Cfr supra p. 145.

*Petrus Wellens*¹.

Petrus Wellens, provincialis Teutoniae Ordinis Praedicatorum, scripsit super Cantica, ad Colossenses, ad Hebraeos, super aliquot Psalmos, et circa Ecclesiasticum. *P. Crabbii Bibliotheca.*

*Ægidius de Bailloeu*².

Fuit primus in schola artium, anno 1441. Praeponitur tamen ei ob nobilitatem domicellus Joannes de Halewyn.

Bibliotheca artium habet ejus tria volumina in pergamento descripta super omnes epistolas Pauli, et canonicas Jacobi, Petri et Judae. Quae etiam in aliis bibliothecis conservantur.

Ejusdem quaestiones super Sententias sunt in Carthusia.

Scripsit praeterea in libros quatuor Sententiarum.

Et determinationem sive conclusionem de crucibus e coelo cadentibus et lapidibus impressis³. *P. Crabbe.*

Fuit per 25 annos in facultate theologiae ordinarie regens et legens. *Sepulcrum.*

Obiit anno 1482, die 18 maii, sepultus ante altare S. Spiritus, cujus praebendam scholae theologiae incorporatam primus possedit. Ubi celebre habet monumentum, nondum transeuntium pedibus prorsus deletum.

Executores Nicolaus de Hellis et Ægidius de Platea, vendita ejus domo, quam in platea Cattorum inhabitabat, fundarunt in collegio theologorum bursam, et in facultate anniversarium perpetuum.

Joannes Ruyssche.

Scripsit super Lucam. *Bibliotheca Crabbii.*

Joannes Ruyssche, Mechliniensis, sacrae theologiae professor, in rectorem eligitur anno 1456. *Acta universitatis.*

Fuit canonicus novae fundationis. *Acta capituli anno 1458.*

¹ Alias *Veille* seu *Vuellen*. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 87.

² Seu *Bailloeu*. Vide op. cit. p. 89.

³ Cfr supra p. 345 not. 1.

*Henricus de Zoemerem*¹.

Universitas anno 1470, mense januario, indicit silentium magistro nostro Henrico de Zoemerem et magistro Petro de Rivo, in materia de futuris contingentibus, donec negotium decidatur.

Contra Hénricus appellavit, et in collatione vesperiarum longum sermonem fecit de materia futurorum contingentium.

Syndicus contra eum et Jacobum Schelwaert² procedit. Requiritur etiam iudicium facultatis Coloniensis.

Henricus Romam proficiscitur, cumque Theodoricus de Tuldel, abbas Parchensis, tuetur, curatque Romam Universitatem citari.

Anno 1472 Antonius Peck, licentiatus decretorum, cum Petro de Rivo nomine Universitatis equitat Romam, sed anno sequenti redeunt, lata contra Universitatem sententia³. *Acta universitatis*.

In praebenda et ordinaria lectione anno 1460 Heimerico successit, et obiit anno 1472. *Computus ornamenti*.

Ad instantiam Bessarionis, cardinalis Nicaeni, legati apostolici per Germaniam et Germaniam, scripsit epitomen primae partis dialogorum Guilielmi Ockam, in Vienna Austriae, editam Lovanii anno 1481 in-folio per Joannem de Westphalia.

« XIX kal. septembris, obitus magistri Henrici de Zoemerem, sacrae theologiae doctoris, qui instituit abbatem et Christum haeredem omnium bonorum suorum; pretiosa volumina sacrae theologiae ac calicem et plura alia pro suo anniversario reliquit. » *Parchum*.

Obiit anno 1472, decanus ecclesiae Antverpiensis, rediens ex Urbe.

Nicolaus de Hellis, Duynkerckanus.

« Magistro Nicolao de Hellis, summo theologo, ecclesiae S. Petri Lovaniensis pastori, et hujus xenodochii prius collapsi, tam in religione,

¹ Cfr *Bibl. Belg.* t. I, p. 467. — Erat doctor theologus academiae Parisiensis, sed Lovaniensi incorporatus, ut vocant.

² Pariter doctor theologus Parisiensis, matri-

culae Lavaniensi adscriptus.

³ Vide de negotio illo Valerii Andreae op. cit. p. 539.

quam in aedificiis, instauratori piissimo, viro pacifico et juris ecclesiastici propugnatori ardentissimo, in omnes egenos, praesertim studiosos, magnificentissimo, monumentum factum. Obiit X kalendas junii, anno 1505; vixit annis 63. » *Sepultura ante aram summam Xenodochii Lovaniensis.*

Fuit ob singularem prudentiam et auctoritatem in facultate sacrae theologiae quartum universitatis rector.

*Petrus de Rivo*¹.

« Hic baccalaureus habuit grandem altercationem de futuris contingentibus veritatibus. Relatione facta ad sedem apostolicam committitur examen episcopo Tornacensi. Tandem de Rivo Romam adiit, ubi summos philosophiae magistros invenit, qui eum plene, secundum voluntatem summi pontificis, instruxerunt. Eumque, humiliter se apostolicae sedi submittentem, Apostolicus ad propria remisit. Edidit quoque idem pontifex opus de futuris contingentibus. » *Impens, in chronicis de Bethlehem.*

Quum facultas ejus aulam doctoralem et admissionem ad concilium protraheret, Universitas sese interposuit. *Acta anni 1476, ultima maii, et an. 1477, 7 martii.*

Habuit etiam disputationem cum Paulo Middelburgensi, physico ducis Urbini, postea episcopo in Foro Sempronii. Unde edidit tractatus tres de anno, feria et die Passionis Domini, Lovanii, 1492, in-folio.

Obiit anno 1499, die 27 januarii, quum per annos 24 ecclesiae S. Petri plebanus praefuisset. Anno 1453 erat canonicus et professor (rhetor) novae foundationis.

Studiosos in theologia et artibus haeredes scripsit, qui plerumque Flandri sunt. Fuit enim Alostensis, aut potius Ischanus, ex agro Alostensi.

Denique per testamentum domum suam Castro vicinam, quam inhabitabat, Castrensi paedagogio donavit, cum conditione ut omnes bursales et commensales doctrinentur juxta statutum, quod facultas theologica fecit de futuris contingentibus ad requisitionem facultatis artium.

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 1004.

Joannes Moederloos ¹.

Joannes Moederloos, diocesis Morinensis, sacrae theologiae professor, praesentatur anno 1481 ad praebendam novae foundationis, vacantem per resignationem Roberti de Laen, juris utriusque doctoris, et ad lecturam alicujus doctoris speculativi sacrae paginae. *Litterae praesentationis.*

Joannes Bourgeois, de Montibus ².

Fuit rector Universitatis annis 1486 et 1491. *Acta Universitatis.*

Praebendae suae renunciat anno 1506, factus reverendus episcopus Cyrenensis. *Acta capituli.*

Episcopus Cyrenensis est in pontificalibus vicarius sive suffraganeus archiepiscopi Coloniensis. Qui juri dicundo Coloniae ejus nomine praest. A quo ad solum Romanum pontificem provocatio sit. *Middendorpius, lib. II de Academicis.*

Ægidius Fabri ³.

Ægidius Faber, Bruxellensis Carmelita, doctor Lovaniensis, scripsit lectionem Sententiarum.

Chronicon sui ordinis.

Historiam Brabantiae.

Quaestiones ordinarias.

Determinationes theologiae.

De testamento Christi in cruce.

De ortu religionum.

Commentarios in Ruth.

In Job.

In epistolam Pauli ad Romanos.

Sermones ad populum.

Præcepta vitae religiosae.

Orationes ad clerum.

¹ Seu *Moederloes*, ut supra p. 475 ipsius nomen legitur in serie rectorum ad an. 1485 et 1498.

² Vide supra pp. 460, 461 et 268.

³ Vide Paquot, op. cit. t. XII, p. 512.

Collationes feriarum.

Atque alia. Obiit Bruxellae anno 1506. *Trithemius, Epitome bibliothecae, Tiguri 1574.*

E quibus omnibus haecenus nihil vidi. Neque istorum meminit Trithemius inter scriptores ecclesiasticos, aut scriptores Carmelitas. Sed verisimile est eum haec ab Arnaldo Bostio, Carmelita Gandavensi, postea accepisse, et libello de scriptoribus Germaniae inseruisse.

Adrianus Florentii, de Trajecto¹.

In paedagogio Porci primum honorem consecutus est in philosophia, quam postea in Falcone professus est.

Et mox studiis sacris se addixit, carptim tamen et subcesivis temporibus juris pontificii studiosus, ut edita scripta testantur.

Quum autem Margareta, regis Anglorum filia, Caroli Audacis vidua, quosdam ad doctoratum in sacra theologia promovere vellet, Adrianus, tum collegii theologorum praesidens, primus inter illos fuit.

Non multo post, factus decanus ecclesiae divi Petri, et cancellarius Universitatis, ut magnus ei inerat animus, collegii sui aedificium supra vires felici ausu incepit. Ferunt Bernardum Carvajalem cardinalem, Julii II legatum, sibi indignantem suspirasse, quum videret decanum infimae prae se fortunae condidisse magnificum opus, quod ipse jam olim meditatus, nedum inchoare potuisset.

Per idem tempus Maximilianus eum Caroli nepotis praeceptorem et optimorum morum formatorem delegit.

Postea ad Ferdinandum regem in Hispaniam mittitur cum amplissimo sed molestissimo munere legationis, ubi iudicio regis et procerum Derthusensis episcopus est creatus, et a Leone ob egregiam hominis famam in senatum cardinalium delectus. Exstant aliquot ad eum Petri Bembi, Leonis X nomine, epistolae, et de cardinalatu ad Carolum Hispaniarum regem epistola 12, libro XVI.

Denique, Leone mortuo, exterus in finibus Germaniae natus, Romae incognitus, nec visus unquam, a quibusdam nec de nomine notus, tanto

Vide supra pp. 156 et 162.

locorum spatio dissitus, stupentibus patribus, uno tantum reclamante quod incognitum nominare non posset, nullo aut amicorum aut principum studio, sed solius Dei dispositione, triginta octo suffragiis pontifex est renunciatus.

Sedit autem annum unum, menses octo, et in summa temporum difficultate multa praeclare egit pluraque moliebatur. Foedere junxit praecipuas christianae pietatis et liberas Italiae civitates. Quumque totus incumberet in Ecclesiae reformationem, naturae concessit anno 1523, die Exaltationis S. Crucis, vir dignissimus qui multis annis pontificatui praesedisset.

Vitam ejus prolixè scripserunt Moringus, Jovius et Onuphrius.

Joannes Briard ¹.

Scripsit se Athensem, sed natus est Balioli apud Athum, unde nostro tempore inter theologos claret Joannes Lensaeus ejus cognatus, et inde quoque Ægidius Baillioeul prodiisse putatur, sed et Lambertus Briardus qui anno 1532 factus est praesidens magni consilii Mechliniensis.

Fuit Joannes Briardus, loco Adriani cardinalis, vice-cancellarius.

Edidit quodlibeta quinque, cum quodlibetis Adriani sexti, Lovanii et alibi excusa. Est aliud quodlibetum de causa indulgentiarum, impressum Lipsiae anno 1519, in-4^o.

Construxit in platea Praepositi domum Athensem, quae nunc est Antonii Van den Berghe. Quam oneravit una bursa theologica.

Obiit anno 1520, sepultus cum parentibus in Carthusia.

Habuerat liberam praebendam, sed anno 1506 resignavit eam magistro Petro Cavertson, receptori capituli, et acceptavit aliam lectione theologica affectam, solvendo media jura.

« Theologos Lovanienses candidos et humanos experior, atque in his praecipue Joannem Athensem, hujus academiae cancellarium, virum incomparabili doctrina raraque praeditum humanitate. Non est hic minus eruditionis theologicae quam Parisiis, sed minus sophisticæ minusque supercilii. » *Erasmus, libro III epist. ad Cuthbertum Tonstallum, oratorem Angliae.*

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. I, p. 590.

Nicolas Baechem, de Egmunda.

Anno 1491, in decanatu Nicolai de Middelburgo, promoti sunt et vocati dominus Joannes Berri, nobilis. Primus Nicolaus Baechem de Egmunda. *Scholae artium acta.*

De hoc fertur, quod quum quemdam dehortatus fuisset ab ingressu religionis monasticae, et postea ex theologorum sententia didicisset se obnoxium restitutioni; nihil moratus, quamvis esset philosophiae professor, et in sacculo honoratus, semetipsum pro illo, quem averterat, Deo obtulit, Carmelitani ordinis institutum amplectens.

Quum aliquando Middelburgi in abbazia hospitaretur, Petro a Capella abbati instigator fuit introducendae reformationis, qua non modo proprietas, quae est monasticae vitae certissima pestis, sed et omnis species proprietatis ex eo tempore inde penitus sublata est.

Fuit valde zelosus, ut erat acri ac vehementi ingenio, contra haereses et contra novas Erasmi doctrinas; ardenti spiritu contra eas ad plebem concionabatur. Unde mortuo Erasmus, liberiore lingua carmen rependit :

Hic jacet Egmundus, telluris inutile pondus,
Dilexit rabiem, non habeat requiem.

Vidi Schoonhoviae, ad Carmelitas, praelectiones ejus in septem catholicas epistolas, nitide descriptas. Sed non dubium est, quin haereticorum furor eas perdiderit. Obiit Lovanii anno 1526, die 24 augusti, inhumatus Mechliniae in capitulari loco sui conventus.

Wilhelmus Vianensis.

Urbe Viana ortus Guilielmus nomine, magna
Castrensem rexi sedulitate scholam.
Hinc doctor legis divinae pabula pastor
Praebueram, Petri qui sacra templa pavi.
Pauperibus moriens studiisque alimenta reliqui
Plurima; apud superos hinc mihi parta quies.

Obiit anno 1529, novembris 20.

Antonius Crabbe.

Anno 1483 Antonius Crabbe, de Mechlinia, primus inter 77. *Schola Artium.*

Obiit anno 1584, die 30 augusti, sepultus ante S. Antonium. *Bartoli Custodis liber.*

Joannes Driedo, a Turnhout ¹.

Anno 1499, primus Joannes Nys, de Turnhout. *Schola artium.*

Praeclara edidit volumina in tomis quatuor Lovanii a Rescio et postea a Gravio excusa. Tomus I complectitur de ecclesiasticis scripturis et dogmatibus libros quatuor; tomus II de captivitate et redemptione generis humani librum unum; tomus III de concordia liberi arbitrii et praedestinationis divinae librum unum, de gratia et libero arbitrio libros duos; tomus IV de libertate christiana libros tres.

Per quae opera nomen et eruditio Driedonis per orbem christianum non minus apud externos quam apud Belgas innotuit.

« Disputationibus vestris, ait Erasmus, adversus Lutherum semper constantissime favi, sed multo magis scriptis, maxime Joannis Turenholti, qui docte et sine affectibus disputavit. » *Godeschalco Rosemondo, Lovaniensium Academiae moderatori, anno 1519, lib. epist. XII.*

« Venerabilis vir dominus Joannes Driedo a Turnhout, dum vixit, hujus ecclesiae pastor, et divi Petri Lovaniensis canonicus : artium et sacrae theologiae professor clarissimus. Qui haereses contra catholicam fidem suo tempore grassantes multis doctissimis libris a se scriptis et editis profligavit : vir sane multijugae eruditionis et pietatis, humanitatis et modestiae singularis. Obiit atque hic sepultus est anno a nativitate Domini 1535, quarta mensis augusti. Orate pro eo. » *Epitaphium in ecclesia S. Jacobi.*

Nicolaus Coppin ².

Anno 1519 Nicolaus de Montibus, pro tempore rector, ex collatione

¹ De Driedonis vita et scriptis orationem nuper didit Universitatis catholicae professor Philiber-

tus Van den Broeck. Vide *Annuaire* 1830, p. 241.

² Vide supra p. 156.

senatus obtinuit praebendam vacantem per resignationem domini cardinalis Derthusani. *Acta capituli.*

Lucas Walteri de Conitio, Prussus.

Lucas Walteri, de Conitio, sacrae theologiae baccalaureus formatus, Genezenensis dioecesis, praesentatur anno 1505, die 5 junii, ad lecturam extraordinariam Scoti, seu aliam. *Litterae praesentationis.*

Qui sex annis pro fratribus theologiam legit. *Minores, cal. septembris.*

Obiit anno 1515, praesidens collegii theologorum; cujus exsequias facultas ad Praedicatorum celebravit. *Acta facultatis.*

Martinus Dorpius, Naeldvicanus¹.

Epitaphia in obitum immaturum doctissimi facundissimique Martini Dorpii per Jacobum Volcardum Bergensem, Conradum Goclenium, Franciscum Craneveldium, Erasmum Roterodamum, Adrianum Barlandum, Ludovicum Vivem, Germanum Brixium et Alardum Amstelredamum, excuderunt Frobenii anno 1528.

Obiit anno 1525, sepultus in Carthusia, ubi ad tumulum legitur epitaphium Erasmi, quod etiam exstat libro IX epistolarum ejus.

Exigua sunt quae edidit: Oratio in praelectiones Pauli apud Frobenium.

Oratio in Assumptionem beatae Mariae.

Ad Erasmum de Encomio Moriae parum feliciter edito, et ut contra id scribat apologiam Sapientiae; apud Alostensem Lovanii et in tomis Erasmi.

Godescalcus Rosemond, Endhoviensis.

Sacrae theologiae professor, et divini verbi ecclesiastes facundissimus, primus praesidens collegii Adriani pontificis et inibi habitans, praepositus magni Hospitalis, in quo sepultus est. Scripsit Confessionale, quod ab eo

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 852, et F. Nève, *Mémoire hist. et litt. sur le collège des Trois-Langues*, p. 113 et seqq.

instaurandae, alter Helias, amore ardebat, tanto justitiae colendae studio, alter Phinees, flagrabat, tanto denique reformandae ecclesiae desiderio ac aestu, instar divi Leonis aut Chrysostomi, totus aestuabat, ut a prophetarum gratia minime vacuus plerisque piis viris videretur. Istud porro esse verissimum sanctissimi Christi Jesu martyres per Belgium ipsa re comprobant, qui Lovanii ejus doctissimis lectionibus dediti ejus ex ore nobiscum non semel audiebant: « Sunt inter vos, sunt inter vos, qui Christi ac fidei catholicae causa trucidabimini. » *Lindanus*, in praefatione orationum theologicarum Ruardi.

*Matthaeus Priem, Buscoducensis*¹.

Ordinis Praedicatorum, creatur doctor anno 1528, 1 septembris. *Acta*. Fuit vir doctus et in publica S. Thomae praelectione diligens.

« Anno 1540, in die S. Lucae, obiit honorabilis pater frater Matthaeus Priem, de Busco ducis, sacrae theologiae professor, prior et studii theologi hujus conventus primarius regens. » *Anniversaria*.

*Joannes Doye, a Valencenis*².

Quinquagenarius creatur S. Theologiae magister, anno 1530, die 14 junii. Patria ejus fuit pagus Ouvaing.

Petrus Curtius, Brugensis.

Ad plebanatum S. Petri, per mortem D. Wilhelmi Vianensis, a magistratu assumptus, solus creatur doctor anno 1530, 12 julii.

*Godefridus Stryrode, Diestensis*³.

Creatur in theologia magister anno 1535, 11 februarii. Fuit in teutonicis concionibus velut alter Demosthenes.

¹ Cfr. supra p. 244.

² Vide Paquot, op. cit. t. VI, p. 250.

³ Vide supra p. 245, et Paquot, op. cit. t. VII, p. 401.

*Martinus Cuper, Mechliniensis*¹.

Prior Carmelitarum conventus Mechliniensis, fit doctor anno 1554, 5 augusti.

*Joannes Leonardus, Hasselensis*².

Cum Francisco Sonnio accepit insignia magisterii 1539, 23 septembris. Divinam scripturam cum maximo auditorum et totius catholicae Ecclesiae fructu, omniumque doctissimorum virorum admiratione professus est. Ex quo Adamus Sasbout explicationem suam in epistolas Pauli, ejusque generis complura alia, accurata solertique prudentia, hausit. *Corn. Verburch, in praefatione commentariorum Adami.*

Quantis copiis instructus sacrae scripturae mysteria elucidaverit, docent commentaria in Esaiam et Pauli epistolas, sub nomine Adami Sasbout promulgata. *Franciscus Lava, in praefatione orationis de facto Nectarii.*

« Nonnullorum insignium virorum iudicio, te prae caeteris a vitae integritate ac sacrarum literarum cognitione commendari intellexi. » *Maria Regina, anno 1551, kal. junii, in literis ut Tridentum eat.*

Obiit in concilio Tridentino anno 1553, die 5 januarii, ubi orationem habuit de facto Nectarii, quam postea Lava discipulus ejus edi curavit.

Studiosi defuncti memoriam ad valvas permultis epitaphiis per dies complures celebrarunt :

Si mors, ut fertur, visu foret orba, nec unquam
 Conspiceret sua quem spicula corripiant;
 Forsan ab Alpinis non tam cito montibus isset
 Hasselii ad stygias vita trilinguis aquas.
 Sed quia nec caeca est nec lumine cassa, videsne,
 Miserit in quantum tela cruenta caput?
 Quippe volens Musis studiisque infesta nocere,
 Qua tandem poterat parte nocere magis? *Joannes Ramus.*

¹ Vide Paquot, op. cit. t. XI, p. 209.

² Vide commentarium nostrum, *Mémoire sur la part que le clergé de Belgique et spécialement les*

docteurs de l'université de Louvain ont prise au concile de Trente, p. 32 et seqq.

Franciscus Sonnius ¹.

Primus (*in promotione Artium*) Franciscus Ægidii de Campo, de Zon. *Schola artium*, anno 1517.

Anno primo studuit medicinae, sed pressus angustia petiit et obtinuit locum in collegio Adriani sexti pontificis.

Inde migravit ad pastorum pagi Mirbecensis, unde intra Lovanium venit ad parochialem curiam S. Jacobi.

Postea canonicus divi Petri et ordinarius sacrae theologiae professor vigore nominationis obtinuit praebendam cathedralis ecclesiae Trajectensis, in qua inquisitor et ecclesiastes et demonstrationum religionis christianae scriptor resedit.

Ab aula non modo ad concilium Tridentinum, sed etiam Romam pro novorum episcopatum erectione missus est.

Redeuntem regia Majestas primo Buscoducensem, deinde vero Antverpiensem episcopum nominavit. Ubi anno 1576 senex obiit, fundatis duabus in collegio pontificio bursis.

Opera ejus Antverpiae Nutius tertio excudit anno 1564.

Joannes Gualteri, ab Insulis ².

Ordinis Praedicatorum conventus Insulensis, fit doctor anno 1541, die 13 septembris.

Fuit primarius regens conventus Lovaniensis, diligentissimus in praedicatione Summae S. Thomae.

Quem ob eruditionem aliquando dominus Ruardus ad Universitatem revocavit ex prioratu conventus Insulensis.

Postmodum tamen, anno 1562 aut circiter, iterum ad conventus sui prioratum revocatus est, in quo non multo post obiit.

¹ De viri celeberrimi vita et scriptis commentarium edidi cum ipsius epistolis ad Viglium, Brux. 1858. in-8°. Cfr. *Synod. Belg.* t. III, p. xt.

² Vide cit. nostrum commentarium de concilio Tridentino, p. 30.

Judocus Ravesteyn, Tiletanus ¹.

Celebravit aulam magistralem anno 1546, 5 octobris.

Missus est a Carolo V ob claram eruditionem ad concilium Tridentinum et ad colloquium Wormatiense. Secundo a Philippo rege Tridentum destinatus, per exhausti corpusculi labores sese excusavit.

Magno affectu, magna animi propensione studiosos, omnesque opem, consilium aut consolationem poscentes excepit.

Scrpsit erudita volumina contra Illyricum, pseudo-ministrum Antverpiensem, et pro concilio Tridentino contra Kemnitium.

« Eximius et venerabilis vir dominus et magister Judocus Ravesteyn, Tiletanus, ecclesiae collegiatae S. Petri canonicus, praepositus Walcuriensis, hujus almae Universitatis privilegiorum conservator, artium et sacrae theologiae professor clarissimus. Qui haereses, contra catholicam fidem suo tempore grassantes, doctrina et libris editis profligavit, hujus Xenodochii praepositus. Vir sane multae eruditionis, pietatis ac modestiae, hic sepultus est. Obiit anno 1570, die 7 februarii. Requiescat in sancta pace. » *Sepulcrum in ecclesia Xenodochii Lovaniensis.*

Joannes Hessels, ab Lovanio ².

« Meditatione inaestimabilem sibi doctrinae thesaurum comparavit, unde tanquam opulentus paterfamilias, in communem usum nova veteraque depromeret. » *Gravii et Sotealli praefatio in ejus catechismum.*

Hic optimo suo merito consecutus est, ut auditorium habuerit non modo frequentissimum florentissimumque, verum etiam doctissimum longaeque attentissimum. *Iidem ibidem.*

« Hic e regione est sepultus dominus Joannes Hessels a Lovanio, sacerdos, hujus ecclesiae canonicus et regius sacrae theologiae professor. Vir celeberrimus, et pietate ac eruditione incomparabilis. Qui haereses suo tempore grassantes, tum viva voce, tum editis libris strenue profligavit, et immo-

¹ Vid. *ibid.* p. 55, et Paquot op. cit. t. XVI, p. 506.

² Vide cit. commentarium de concilio Tridentino, p. 48 et seqq., et *Bibl. Belg.* t. II, p. 658.

riens Lovanii VI idus novembris, anno incarnati verbi 1561, aetatis vero suae 44, piis doctisque omnibus, et theologicae imprimis scholae, maximum sui desiderium reliquit. Orate pro eo. » *Monumentum apud venerabile sacramentum in ecclesia D. Petri Lovanii.*

Wilhelmus Lindanus, Dordracensis ¹.

Anno 1556, die 14 septembris.

Laurentius a Villavicentio, Augustinianus ².

Cum Hunnaeo fit doctor 1559, 20 junii.

Augustinus Hunnaeus, Mechliniensis ³.

Carmen chronicon :

Et sophVs, et graeCVs, Chaldaeae VoLVMIa CaLLens,
aLta tenet, densos, splrltVs ossa rogos. 1538.

Thomas Gozaeus, Bellomontanus.

Cum Cunero accepit insignia magisterii anno 1560, 12 novembris.

Cunerus ⁴.

Cunerus Petri a Brouwershaven, ex lectore Parchensis monasterii pastor

¹ De Lindani vita et scriptis anno 1859 orationem academicam habuit Facultatis nostrae theologicae professor T. J. Lamy, quae exstat in *Annuaire* 1860, p. 298.

² Vide nostram disquisitionem, *Opinion des*

théologiens de Louvain sur la répression administrative de la mendicité en 1562 et 1565; Bruxelles, 1855, in-8°.

³ Vide Paquot, op. cit. t. XI, p. 274.

⁴ Vide Paquot, op. cit. t. VI, p. 262.

ecclesiae divi Petri, consecratur anno 1569, die 15 novembris, primus episcopus Leovardiensis.

Moritur in exilio suo Coloniae anno 1580, die 9 februarii, quum aegrotasset horis non amplius 38.

Cornelius Jansenius, Hulstensis ¹.

Ex academia Lovaniensi magno delectu ab abbate Tongerloensi in lectorem assumptus est, ubi se in sacrarum literarum expositione multum exercuit. Deinde ad curam pastoralem Cortracum transiit.

Inde ad Universitatem et theologicam professionem revocatus, multorum hortatu edidit commentarios in Concordiam evangelicam, Psalterium, Proverbia et Ecclesiasticum.

« Serenissima Majestas vestra humillimo natum loco tam singulari favore prosecuta est, ut quum prius Lovanii ecclesiae S. Jacobi decanatum, ac deinde imposita ad Tridentinum concilium profectio decorasset, sic tandem crexit, ut cum principibus populi Dei (Ps. CXII) in sublime collocaret. » *Praefatio in Concordiam ad Philippum I.*

Obiit primus episcopus Gandavensis anno 1576, in die D. Leonis. *Jacobus Horstius.*

Cornelius Goudanus.

Anno 1549 primus *Cornelius Reinerus de Gouda. Schola artium.*

Ex aula episcopi Leodiensis Lovanium rediens, cum Malcotio anno 1568, die 1 junii, doctoratus titulo honoratur.

Robertus Malcotius, Lovaniensis.

Septimus annus erat, quo percepere docentem
Parchenses; fuit hic nonus ², quo sedulus usque
Electus pastor moderamen ovilis habebas.
Nunc vero numerum si mens attentet eorum

¹ Vide supra p. 159, *Bibl. Belg.* t. I, p. 204, et *Synod. Belg.* t. IV, p. 5 et 255 et seqq.

² Scilicet *annus.*

Dicere, quis vitam nummis escisque fovebas
 Ante prius vasti Oceani numerasset arenas.
 Ipsa simul doctrina subit, facundia dives,
 Convictus facilis, convictus humillimus omni.

Obiit anno mortalitatis 1598, 2 julii, cum magno parochiae et scholae
 lu ctu ¹.

Balthasar Textor, Audomarensis ².

Cum Petro Bacherio, uterque ex Ordine Praedicatorum, promovetur ad
 doctoratum anno 1568, 12 octobris.

Petrus Bacherius, Gandavensis ³.

Henricus Gravius, Lovaniensis ⁴.

Anno 1570, 30 maii, accepit titulum magisterii.

Joannes Molanus, Lovaniensis ⁵.

Cum Lensaeo pileum magistrale accepit anno 1570, 12 septembris.

Joannes Lensaeus, Belliolanus ⁶.

Antonius de Conceptione Senensis, Lusitanus ⁷.

¹ Erat plebanus ecclesiae D. Petri Lovaniensis
 et theologiae professor ordinarius.

² Scripta ipsius et vitae series recensentur apud
 Echard, *Script. Ord. Praedicat.* t. II, p. 244.

³ Erat ille ejusdem Ordinis alumnus. Vide op.
 cit. t. II, p. 347.

⁴ De viro illo doctissimo, quem maxime adama-
 vavit cardinalis Baronius, vide *Bibl. Belg.* t. I,
 p. 447, et analecta Kalendarii nostri Academici
 an. 1858 p. 277 et 311.

⁵ Molani vita et scripta recensentur supra in
 prooemio.

⁶ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 674.

⁷ Hic ille est doctor theologus Lovaniensis, cui
 Facultas theologica demandavit sub strictissimo
 sigillo Regi Philippo II tradere gravissimas illas
 literas a theologis nostris XV kal. junias anno
 1575 scriptas sub decanatu Molani, ut pro Albano
 duce, Belgis exoso, alius mitteretur gubernator,
 et Rex patriae calamitatibus consulere. Vide hasce
 literas supra in prooemio. De Antonio Senensi
 ejusque scriptis quaedam refert Paquot, op. cit.
 t. XIII, p. 429.

CAPUT XVI.

SCRIPTORES ALIQUOT THEOLOGI STUDII LOVANIENSIS EXTRA COLLEGIUM PROFESSORUM.

Ægidius Carlerius.

Decanus Cameracensis, sacrae theologiae doctor, in concilio Basileensi clarus, ubi per quatuor dies respondit ad secundum Bohemorum articulum. Scripsit diversas consultationes, quae Bruxellae anno 1478 in duobus voluminibus, quorum tituli sunt *Sportae et Sportula fragmentorum*, excusae sunt. Eum Lovanii in initio novellae Universitatis studuisse ex matricula animadverti ¹.

Gerardus Moringus.

Anno 1513, primus Gerardus Morinck, de Bommele. *Schola artium.*

Lector monasterii S. Gertrudis, sacrae theologiae licentiatus, postea vero pastor, canonicus et lector in oppido Sancti Trudonis, edidit commentarium in Ecclesiasten;

Orationem de paupertate ecclesiasticorum;

Vitam S. Augustini, S. Trudonis et Adriani sexti.

Obiit anno 1556 ².

Albertus Pighius ³.

Primus in Falcone Albertus Pigghe, de Campis, inter 148, anno 1509. *Schola artium.*

Fuit, ut alicubi meminit Ruardus, baccalaureus Lovaniensis, ipsius condiscipulus, postea doctor Coloniensis.

Scripsit ad Paulum III assertionem ecclesiasticae hierarchiae; ad cardinalem Sadoletum de hominis libero arbitrio et divina gratia libros X;

¹ Scripta ipsius recensentur in *Bibl. Belg.* t. I, p. 27, sed nulla ibi mentio fit de studiis Lovanii peractis a doctore illo Sorbonico et professore

Parisiensi domus Navarrae.

² Cfr. op. cit. t. I, p. 538.

³ Vide Paquot, op. cit. t. II, p. 173.

Explicationem praecipuarum controversiarum in comitiis Ratisbonensibus tractatarum, et alia alibi commemorata.

Fuit in publicis negotiis et frequentibus legationibus clarus, cujus virtutem et eruditionem curia Romana est admirata. Ideoque eum Paulus Jovius in elogiis doctorum virorum celebravit.

Obiit Trajecti praepositus ad S. Joannem anno 1545.

Martinus Duncanus, Kempensis ¹.

Sacrae theologiae baccalaureus, scripsit contra Mennonem et Anabaptistas opus eruditum. Scripsit et alia contra haereses, sed idiomate batavico.

Quum in Waterlandiae pago Wormaria pastor latere videretur, per totam Hollandiam, quantumvis statura pusillus esset, a bonis honorabatur, ab haereticis formidabatur.

Eum inde regia Majestas primum evocavit ad Delphensis urbis pastortum, deinde ad decanatum et pastortum palatii Hagensis.

Matthaeus Galenus, West-Capellius ².

Galenus ex Lovaniensi schola primum Dilingae professor ³, postea cancellarius et primarius theologus Duacensis, scripsit Commentarium de votis monasticis, de Sacerdotio, de Sacrificio missae, Catecheticas Orationes, in epistolam ad Hebraeos, et alia in bibliotheca theologica commemorata.

Jacobus Pamelius, Brugensis.

Est sacrae theologiae licentiatus, nobilitate, eruditione et pietate clarus. Cujus pater Adolphus praeses fuit Flandriae, et frater Wilhelmus nuper ex praeside Flandriae nominatus est praeses privati consilii.

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 833.

² Vide op. cit. t. II, p. 864, et Paquot, op. cit. t. XV, p. 525.

³ De Guilielmo Lindano et Martino Rythovio

ad professionem in Academia Dilingana vocatis, vide Viglii et Petri Canisii literas inter *Analecta Kalendarii nostri academici an. 1852*, p. 504 et 510.

Resedit Brugis, canonicus cathedralis ecclesiae divi Donatiani. Inde autem ab haereticis ejectus, assumptus est a Joanne Sixtio Audomarense episcopo in archidiaconum Audomarensem.

Multum laboravit in editione Cypriani, Tertulliani et liturgicorum. Edidit et alia, pluraque meditat¹.

Franciscus Lucas, Brugensis.

Sacrae theologiae licentiatus, edidit notationes in sacra Biblia quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca discutiuntur, Antverpiae apud Plantinum, anno 1580, in-4^o

Migravit ad Societatem Jesu².

CAPUT XVII.

ALIIQUOT ALII SCRIPTORES.

Non est autem mei instituti omnes scriptores commemorare. Quare supradictis infrascriptos adjecisse suffecerit.

Jacobus Horstius³.

Sacrae theologiae doctor Lovaniensis, scholasticus Gandavensis, quum Coloniae sacram theologiam profiteretur, edidit defensionem catholicae communionis contra Hamelmannum, ibidem, anno 1563.

¹ Audomaropolitanus episcopus nominatus in tempestiva morte abreptus est die 19 septembris 1587. Vide *Bibl. Belg.* t. I, p. 532.

² Nascentem Societatem plurimum quidem admavit, eique moriens bibliothecae suae partem aliquam concessit; attamen dum Molanus ait migrasse eum ad Societatem Jesu, id intelligendum

est de noviatu, quem in ea brevi tempore junior egit. Obiit decanus ecclesiae cathedralis Audomaropolitanae die 19 febr. 1602.

³ Jacobus Coemans, seu *Comanus*, ab Horst. Vide *Bibl. Belg.* t. I, p. 510, et Hellin, *Histoire chron. des évêques et du chapitre de saint Bavon à Gand*, p. 182.

*Jacobus Veldius, Brugensis*¹.

Sacrae theologiae doctor, provincialis Augustiniensium, edidit aliquot tomos sermonum. Obiit ad S. Audomarum, anno 1585.

*Joannes Rubus, Viletanus, Hannoniensis*².

Qui ex consensu theologorum Lovaniensium gradum doctoralem sumpsit Duaci, scripsit Harmoniam quatuor Evangelistarum, Cornelium Jansenium fere secutus. Claret ibidem professor et praepositus ad S. Petrum.

*Hieronymus Verlenius, Buscoducensis*³.

Commentarius in Psalmos editus est Lovanii anno 1558. Transtulit Ignatii Epistolas et alia quaedam. Claret vicarius episcopi Harlemensis.

*Henricus Luytenius*⁴.

Canonicus Mechliniensis edidit Sermones aliquot typis Plantini, anno 1565.

*Petrus Walon-Capellius, a S. Audomaro*⁵.

Ordinis S. Benedicti, prior ad S. Winocum in Flandria, frater episcopi Namurensis, discipulus Joannis Hessellii, scripsit Institutionum monasticarum secundum concilii Tridentini decreta libros tres; de causis et remediis calamitatum Belgii.

*Joannes Soteallus*⁶, *Montiniensis*.

Sacrae theologiae licentiatus, Joannis Hessellii discipulus, edidit Sum-

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. I, p. 542.

² Seu *Joannes du Buisson*. Vide Paquot, op. cit. t. II, p. 411.

³ Vide op. cit. t. VIII, p. 528.

⁴ Vide op. cit. t. I, p. 159.

⁵ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 1018.

⁶ Vulgo *Soteaux*. Vide op. cit. t. II, p. 755.

mam pontificalium et synodaliū constitutionum et annotationes locorum ad conciliū Tridentinū. Obiit lector Cambrensis monasterii, anno 1567.

Joannes Costerius, Alostensis .

Sacrae theologiae licentiatus, pastor Aldenardensis, edidit libellum de Exitu Ægypti, hoc est de exitu catholicorum e civitatibus haeticorum, Duaci, anno 1580.

Joannes Harlemius ¹.

Rector collegii Societatis Jesu, Lovaniensis, sacrae theologiae licentiatus, edidit Indicem biblicum.

Laurentius Jacobus, de Bergeyck.

Sacrae theologiae licentiatus, pastor ecclesiae metropolitanae Mechliniensis, edidit dialogum de jubileo.

Cornelius Loos, Gaudanus.

Edidit Moguntiae Thuribulum precationum, Duellum fidei et rationis de Eucharistia, orbis et urbis Defensionem contra Artolatriae crimen, Catalogum illustrium scriptorum Germaniae.

Henricus Cuyckius, Culemburgensis.

Ethicus et sacrae theologiae licentiatus, scripsit orationem de jubileo. Cassianum recognovit, additis notis ².

¹ Vide op. cit. t. II, p. 622.

² Vide supra p. 316.

³ Alia Cuyckii opera enumerantur in *Bibl. Belg.* t. I, p. 441.

*Albertus Hero, Snecanus*¹.

Sacrae theologiae licentiatus, qui fuit ex primis Vigliani collegii alumnis. Scripsit de Providentia Dei libros quinque, editos a Materno Cholino, anno 1552, Coloniae, in-8°.

CAPUT XVIII.

FACULTATUM UTRIVSQUE JURIS PROFESSIONES².

Juris canonici ordinariae.

Quotidiana in Decretalibus a sexta usque ad nonam.

Quotidiana hora secunda in sexto et Clementinis.

Hora octava in Decretis diebus festis et in feriis scholae per canonicum.

Juris canonici extraordinariae.

In Decretis hora decima quotidiana per canonicum.

In Decretalibus, in feriis ordinariorum, per minorem canonicum.

In jure civili ordinariae.

Primaria a sexta usque ad nonam in Digesto vetere et Codice.

Pomeridiana lectio habet Digestum infortiatum.

Tertia lectio est elementorum aut institutionum juris.

¹ Vid. op. cit. t. I, p. 44.

² Facultatis utriusque juris statuta, necdum

edita, exstant apud me in vetusto codice, quo Facultas olim utebatur.

In jure civili extraordinariae.

Quotidiana universarum Pandectarum hora nona, per Status Joanni Ramo collata, quam fortassis non continuabunt.

Summaria titulorum juris quotidiana.

Summaria Institutionum juris.

Extraordinaria in Institutionibus per canonicum secundae foundationis.

Extraordinaria in Codice per canonicum secundi capituli.

Disputatio.

Sabbatina disputatio alternis hebdomadibus.

Honoraria professorum.

Honoraria sua, etsi salis tenuia, professores recipiunt a regia Majestate, a magistratu Lovaniensi et a Statibus.

CAPUT XIX.

COMMEMORATIO CELEBRIORUM PROFESSORUM JURIS.

Joannes de Groesbeck.

Legum doctor solus aderat in inchoatione Universitatis. Fuit de familia et cognatione Gerardi a Groesbeck, episcopi et cardinalis Leodiensis, ut testantur insignia domus ejus sitae inter Clarissas et domum Facultatis.

Anno 1446 emit Facultas artium a Metta, venditrice, libros aliquot piae memoriae Joannis de Groesbeck, nonaginta florenis. *Acta.*

Nicolaus de Prumea.

Juris utriusque doctor, solus aderat juris canonici professor anno primo erectae Universitatis. Habuit in inchoatione Universitatis orationem coram praelatis et nobilibus. *Archiva Urbis.*

*Henricus de Mera*¹.

Decretorum doctor accessit anno 1427. Intererat licentiatus utriusque juris erectioni Universitatis.

« Quinto idus septembris anni 1440 obiit magister Henricus de Mera, decretorum doctor ac hujus ecclesiae decanus. Jacet ante januam chori. » *Anniversaria S. Petri.*

*Henricus de Piro*².

Henricus de Piro, Coloniensis, legum doctor, venit Lovanium anno 1427. *Matricula Universitatis et catalogus jurisconsultorum.*

Scripsit pro novello studio Lovaniensi super Institutiones opus excusum in-folio. *In bibliotheca Minorum et Wamesii.*

Scripsit quoque de executionibus ultimarum voluntatum et de horis canonicis. *Index bibliothecae Parchensis.*

Henricus de Piro, ex civitate Coloniensi oriundus, Ordinis Carthusiensium, professus domus S. Barbarae in eadem civitate, ante ordinis ingressum doctor utriusque juris, scripsit quaedam praeclara volumina, de quibus feruntur, super Institutis libri quatuor, ad novitios liber, sermones de tempore, de Sanctis et quaedam alia. Claruit anno 1470. *Trithemius.*

Ejus frequens et celebris mentio est in Actis concilii Constantiensis.

Arnoldus de Reysenaelde et Jacobus de Horst.

Decretorum doctores supervenerunt anno 1429. Jacobus de Horst, decanus Bruxellensis, decretorum doctor, anno 1428. *Matricula Universitatis.*

¹ Vide supra p. 153.

² Vide Paquot op. cit. t. IX, p. 59.

Joannes de Reysen ¹.

Primus creatur juris canonici doctor in ecclesia S. Petri, anno 1430, die 3 octobris.

Henricus Retheri.

Fuit ei non agnomen sed cognomen *Yseren hooft*, hoc est latine caput ferreum. Legitur enim in *Matricula Universitatis*, anno 1430 : « Henricus Retheri *Yseren hooft*, Coloniensis dioecesis, doctor. »

Ludovicus de Garsiis.

Ludovicus de Garsiis, juris utriusque doctor, Bononiensis dioecesis, Lovanium venit anno 1435. *Matricula Universitatis et professorum juris.*

« Ludovici de Garsiis, utriusque juris doctoris, canonici Bononiensis, apostolicae camerae clerici, litera testimonialis super defensione Joannis de Turrecremata, Ordinis Praedicatorum incipit : « Universitati vestrae quum pium, etc. » *P. Crabbe.*

Joannes de Gronsselt.

Legum doctor.

Cultor justitiae, legumque monarcha Joannes
De Gronsselt, famae celebris, tumulo jacet isto :
Nec comitis caruit titulo ; nam lustra fere sex
Hunc videre vices primas retinere cathedrae
Legum, qua fuerat annis plus octo potitus.
Junius hunc Nonis rapuit currentibus, atque
Mille quadringentis decies septem tribus annis
Christi : cujus ovans aeterna pace fruatur,
Gertrudisque sua conjux hoc clausa locello.

Lamina sepulcri in ecclesia S. Michaëlis.

¹ Seu *Reisingius*. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 469.

Resignanti praebendam suam domini secundi capituli annuerunt ei fructus anni sequentis 1457, initio maii.

Wilhelmus Bont ¹.

Wilhelmus Custodis, alias Bont, patria Lovaniensis, juris utriusque doctor, ecclesiae Divi Petri decanus et cancellarius Universitatis, sanctissimi domini capellanus et sacri apostolici palatii causarum auditor, obiit anno 1454, sepultus in ecclesia D. Petri ante altare S. Andreae.

Scrpsit differentias legum et canonum, quodlibetum de usuris et emptione reddituum vitalium ac perpetuorum, quod habuit anno 1451, et casus quibus poena mortis a lege imponitur. Quae in Oceano juris et alibi exstant.

In testamento vocat reverendum patrem Joannem Bont, avunculum suum. Is fuit juris utriusque doctor, quatuor ducum consiliarius et cancellarius, thesaurarius Cameracensis, archidiaconus Famenae, magnus Universitatis patronus.

Gerlaco Bont, legum doctori, legat collectas suas, Joannis Custodis, alias Bont, jus civile.

Joannes Swavele ².

Joannes Swavele, de Swollis, decretorum doctor studii Patavini, accessit ad collegium anno 1439. *Liber Facultatum juris*.

Videtur autem studii Patavini non doctor et professor, sed discipulus fuisse; inscribitur enim anno 1435 in *Matricula Universitatis* nostrae: « Joannes Swavel, artium magister et in decretis licentiatus Trajectensis dioecesis. »

Anno 1436, 3 octobris, nominatur advocatus Universitatis.

Antonius Laecman, a Zon.

Ab vice-cancellario Heimerico pronuntiatus est legum doctor anno 1439, die 13 octobris.

¹ Vide supra p. 133, et Paquot op. cit. t. XII, p. 127.

² Apud Valerium Andream et alios legitur *Joannes Snavel*.

In sepulcri ejus saxo, quod est ante altare S. Andreae in ecclesia D. Petri, sequentia legere potui :

Defensor fidei, varias haereses repulisti.
 Tu lux Ecclesiae, Lillii splendor criss,
 Tu praestans fama

In secundo rectoratu vocatur legum doctor et in decretis licentiatiss, anno 1451. Et similiter testamento suo se subscripsit anno 1453.

*Conradus de Mera*¹.

Conradus de Mera, miles in armis et juris utriusque doctor, est rector Universitatis annis 1442 et 1445. *Actorum liber*.

Alibi promotus, initio repulsus est a collegio doctorum, quia nolebat jurare se per medium annum docturum. Processus an artium magistri praecedant licentiatos?

Conradus de Mera, dominus de Grasen, juris utriusque doctor, anno 1478 nominatur inter nobiles et generosos dominos, qui contra commendam S. Michaëlis appellant in primo procuratorio trium Statuum Brabantiae. Obiit Lovanii in domo sua super Leidam, sed sepulturam elegit Bruxellae apud Praedicatores. *Pastorale S. Jacobi*.

In praedicto procuratorio nominatur dominus Henricus de Mera, miles, burgi-magister Bruxellensis.

Legavit alteram curtim suam pauperibus. *Acta Universitatis ad annum 1485*.

*Radulphus a Beringhen*².

Magister Radulphus a Beringhen, rector parochialis ecclesiae de Erps, et per concilium Basileense nominatus, et Paulus Beye, archidiaconus Cameracensis per illustrissimum ducem Philippum adjunctus et per Radulphum substitutus, commissarii per dioecesin Cameracensem et ambitum recipiunt ad opus sacri concilii et ducis, 2,451 libras 19 solidos et 6 denarios moneetae Artesiensis. Et factis coram deputatis rationibus, absolvuntur anno 1435, die 17 septembris, appositis duobus sigillis.

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 162.

² Vide op. cit. p. 162.

« Hic jacet magister Radulphus de Beringhen, artium et decretorum doctor, qui obiit anno Domini 1455, 4 die octobris. » *Monumentum ad altare S. Andreae.*

Ejus lectura super Clementinas, completa per magistrum Adrianum de Aggre, studentem Lovaniensem, anno 1450, die 17 novembris, est in scripta bibliotheca, ad Martinenses.

Confessionale ejusdem super cap. « Omnis utriusque sexus. » *Ibidem.*

*Joannes Rodolphi, alias Flamingi*¹.

Per Heimericum de Campo vice-cancellarium, pronuntiatus est in utroque jure doctor, anno 1442.

*Joannes de Lisura*².

Decretorum doctor, praepositus B. Mariae ad Gradus Moguntinensis, cantor et canonicus Spirensis, causarum sacri apostolici palatii auditor. Fuit Basileae inter oratores regis Romanorum et principum Electorum. *Tomo IV Conciliorum, fol. 214.*

Scribit ad eum Æneas Silvius cardinalis: « Notum est nobis acumen ingenii tui, multumque tuo judicio deferimus. Labore tuo nostroque quietem consecuta est Ecclesia nostris diebus apud Germanos. » *Epistola 320.* Et iterum: « Amavimus probitatem tuam ante promotionem nostram, et nunc potissime colimus observamusque. Scribe nobis frequenter; nam literis tuis, quasi persona, tuemur. » *Epistola 349.*

Gerlacus Bont.

Joannes Herzee in decretis licentiatus erat anno 1444, mense aprili; ad canonicatum et praebendam secundae foundationis praesentatus est et in eis institutus. Sed quum absens lectioni suae vacare recusaret, Wilhelmus Bont eum secundum tenorem bullae privavit.

In cujus locum Jaspas Absoloens et Arnoldus de Vinkenbosch consules

¹ Vulgo *Vlemincx*, Aldenardensis. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 171. ² Vide op. cit. p. 163.

codem anno, die 14 maii, praedicto Wilhelmo Bont, juris utriusque doctori, decano S. Petri, archidiacono Antverpiensi in ecclesia Cameracensi, domini nostri papae capellano, et sacri palatii auditori et ad infra scripta executori specialiter deputato, Gerlacum Bont legum doctorem praesentarunt.

Balduinus de Zierixzee.

Balduinus Henrici de Zierixzee, decretorum doctor, est tertium Universitatis rector, anno 1461.

Lectura ejus in Decretales est in tomis quinque scripta, Lovanii ad Martinenses, ex dono Laurentii Dyck, Antverpiensis.

*Leonardus Griboval*¹.

Abbas in Vlierbeco, a domino praeposito et cancellario Wilhelmo de Ascha creatus est decretorum doctor anno 1456, 4 novembris.

Wilhelmus de Delft.

Creatur utriusque juris doctor anno 1457 per Petrum de Mera, decanum et cancellarium. Fuit usque ad mortem pastor Beghinagii Lovaniensis et in jure professor capitularis. Qui primum a magistratu admissus fuit ad lecturam in Facultate legum, et anno 1459 mortuo Radulpho de Beringhen, petente senatu et annuente capitulo, transiit ad lecturam in jure canonico.

*Raymundus de Marliano*².

Ex Dola evocatur dominus Raymundus Marlianus, ut in jure profiteatur. *Archiva civitatis ad annum 1461.*

Ejus conthoralis domina Joanna, filia domini de S. Hilario in Burgundia, obiit Trajecti ad Mosam anno 1463, die 12 junii. *Augustinienses.*

¹ Vide supra p. 187, et nota nomen ipsius apud Valerium Andream op. cit. p. 171 male scriptum esse *Gribeval*.

² Vide Paquot op. cit. t. VIII, p. 428.

« Nobilis, famosus et egregius vir dominus Raymundus de Marliano, utriusque juris doctor, cathedralium ecclesiarum Leodiensis et Bisontinensis canonicus, Universitatum Lovaniensis et Dolanae Facultatum utriusque juris lector ordinarius, obiit anno 1473¹, 20 augusti. » *Sepulcrum ante chorum S. Petri.*

Fundavit pro Lovaniensi bursam in Universitate Papiensi, cujus mentio est in Actis Universitatis. *Ad annum 1513.*

*Robertus de Lacu*².

Robertus de Lacu, artium magister et juris utriusque professor, et decanus ecclesiae B. Mariae Virginis oppidi Trajectensis, per testamentum, quod condidit anno 1483, sepulturam eligit ad S. Martinum, ubi etiam quaedam ejus consilia asservantur.

Et Facultatibus utriusque juris ad opus collegii S. Ivonis donat domum suam, quam in Nova Platea inhabitat.

*Joannes de Coevernissen*³.

Alias de Bergis supra Zomam, legum doctor recipitur anno 1458.

*Nicolaus Blyen*⁴.

Nicolaus Blyen ab Ægidio Vranx, decano et cancellario, pronuntiatus est legum doctor anno 1466.

Stephanus de Lignana.

Stephani de Lignana, juris utriusque doctoris et ordinarii in jure civili professoris Lovaniensis, consilia quaedam, libertatem ecclesiasticam concernentia, conservantur in scripta bibliotheca Martinensium.

¹ Apud Valerium Andream op. cit. p. 164 perperam legitur 1485.

² Vide Valerii Andreae op. cit. p. 163, et corrigendum quod exstat supra p. 308, lin. 4, ubi

pro *Roberti de Lacu* legitur *Roberti de Laen.*

³ A Valerio Andrea op. cit. p. 165 et aliis vocatur *Joannes de Coeveringen.*

⁴ Seu *S' Blyden.*

Theodoricus de Viridi-Valle.

« Theodorico de Viridi-Valle, hujus ecclesiae presbytero, canonico, artium et juris doctori, hic subter posito. Hic annis supra viginti quatuor Decreta docuit et quinquaginta rhenensium florenorum annum subsidium binis suae gentis scholaribus reliquit moriens anno 1501, augusti die 25. Orate pro eo. » *Monumentum apud altare S. Sebastiani.*

Fratrem habuit virum celebrem dominum Ludovicum de Viridi-Valle, in eadem ecclesia canonicum et in Universitate dictatorem ¹.

Patria eorum fuit Hilvaris Beca.

Richardus de Troucillon ² *et Joannes de Papenhoven* ³.

Anno 1470, die 9 octobris, Richardus de Troucillon, nobilis, in utroque jure, et Joannes de Papenhoven, decanus ecclesiae S. Pauli Leodiensis, in legibus doctores pronunciantur.

Robertus de Witsem ⁴, *Anglus.*

Fit legum doctor anno 1472, die 4 augusti.

Joannes de Thimo, Lovaniensis ⁵.

In decretis et duo sequentes in utroque jure doctores creantur anno 1481, die ultima februarii.

¹ Vide supra p. 142.

² De Richardo Troucillon, Ludovici Borbonii episcopi Leodiensis vicario generali, per Wilhelmum Arenbergium misere occiso an. 1474, vide *Documents relatifs aux troubles du pays de Liège, etc.*, p. 638, note 1.

³ Erat ille officialis ejusdem Ludovici Borbonii. Obiit Lovanii die 30 augusti 1477.

⁴ Apud Valerium Andream et alios dicitur *Robertus Wilson*.

⁵ Vide supra p. 136, et Paquot op. cit. t. IX, p. 259.

*Joannes Noyens, de Turnhout*¹.

Scriptis casus breves in totum corpus juris civilis, qui antiquis characteribus in-folio sunt excusi in Germania.

*Ludovicus Roelants, Lovaniensis*².

*Arnoldus de Aldenardo*³.

Hugo Van den Hove van Zyl, Ultrajectinus.

Hugo de Hove, canonicus Trajectensis, et Arnoldus de Aldenardo in utroque jure doctores creantur anno 1481 kalendis martii.

Quorum in Decretis collega erat Judocus Cloet Bruxellensis, qui obiit decanus divae Gudulae.

Arnoldus de Beka.

Consiliarius ducis, promovetur juris canonici doctor anno 1481, 4 julii.

*Henricus Deulin, de Minorivilla*⁴.

Henricus de Minorivilla erat anno 1485 ordinarius lector rhetoricae in Facultate artium et decretorum doctor. Reliquit autem Facultatem artium et professionem rhetorices anno 1486. *Acta.* Obiit anno 1495 primarius professor juris pontificii.

Joannes Gousset, Burgundio.

« Nonis maii anno 1490 obitus magistri Joannis Gousseti, utriusque juris doctoris bene meriti ac insignis ecclesiae cathedralis Morinensis decani. Qui

¹ Vide *Bibl. belg.* t. II, p. 706.

² Erat ejusdem familiae, de qua mentio fit apud Paquot, op. cit. t. XII, p. 83.

³ Seu *Arnoldus Wiemersche*, alias *de Lato*

Prato, Aldenardensis. Resedit Bruxellis officialis Cameracensis per Brabantiam, ibique obiit mense aprili an. 1802.

⁴ Vulgo *Marville*, in dioccesi Audomarensi.

reliquit quondam confratribus suis canonicis modium siliginis, et iisdem cum capellanis alterum modium. » *Anniversaria S. Petri.*

Simon de la Valle, Lombardus, ex Monte-Ferrato.

Doctor novellus, a magistratu praesentatur ad primariam juris canonici lectionem, ad quam eum non esse admittendum conclusit Universitas. *Acta ad annum 1480, die 29 novembris.*

Tandem anno 1484, 15 octobris, Universitas, per D. suffraganeum Lambertum et Petrum de Rivo, significat se eum admittere ad probam, salvo quod senatus sub sigillo promittet eam dimittere, et ipse juret lectionem eam relinquere, si ipsum Universitas minus idoneum judicaverit. Quibus conditionibus admissus est ¹.

Petrus a Thenis ².

Petri Thenensis nomine, at non patria
(Natalis illi nam locus Lovanium)
Sub hoc locello conteguntur pulveres.
Qui et artium, jurisque utriusque insignia
Cum laude consecutus, ornavit scholam
Legum professor publicus decennio,
Annisque bis decem explicavit canones.
Frequenter interim assidens et judici.
Quin et Retornacensis, Hermeti sacra
Gaudebat ornata hoc decano ecclesia.
At mortuus prodest tamen; nam perpetim
Suis alumnum juris opibus educat.
Huic, quisquis es, Deum precare propitium.

Obiit IV idibus decembris, anno 1523. *Monumentum ad altare S. Matthiae.*

¹ Cfr Paquot, op. cit. t. XVI, p. 490, not. F. iidem versiculi ad locum sepulturae in ecclesia

² Vide Valerii Andreae op. cit. p. 478, ubi D. Petri Lovaniensis olim adscripti referuntur.

Petrus l'apostole ¹.

Lapostollus nominatur a Francisco Titelmanno magni nominis, scientiae quoque et consilii non minoris vir, doctoratus eminentia et longa juris publica praelectione insignis ².

Anno 1502, die 16 junii, dominus Alexander de Pellegrino, cathedralis ecclesiae Leodiensis canonicus, adeptus est gradum licentiae in jure pontificio, praesidente sibi domino Petro l'Apostole, juris utriusque doctore atque illustrissimi principis nostri consiliario et magistro requestarum ordinario. *Liber Bedelli.*

Joannes de Wemelinghen ³.

Creatur cum duobus sequentibus juris utriusque doctor anno 1495, 11 junii.

« Hic sepultus est dominus Joannes Godefridi, natus in Wemelinghen, decanus ecclesiae sanctae Gudulae Bruxellensis, conservator privilegiorum Universitatis Lovaniensis, juris utriusque doctor; in quo studio publice multa cum laude et non mediocri auditorum fructu docuit annos triginta septem. Vir acquitatis observantissimus et tam liberalis, ut nihil magis suum existimaret, quam quod amicis ac vere pauperibus dedisset, juxta dictum vetus: « Hoc habeo, quodcumque dedi. » Obiit anno 1525, 12 octobris. » *Sepulcrum ad Minores.*

Joannes de Wemelinghen senior fundavit in capella clericorum duas missas, et alia quae Facultas acceptat, gratias agens domino licentiatu juniori Wemelinghen. *Acta, ad annum 1486.*

Nicolaus Everardi, de Middelburgo ⁴.

Conscripsit duo celebria volumina frequenter excusa, unum consiliorum, alterum de locis legalibus.

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 176.

² In vita Joannis de Myrica, cap. XI.

³ Seu *Joannes Godefridi*, alias *de Seconde*, ex

Wemelinghen in Zelandiae insula Zuythevelandia.

Vide op. cit. p. 177.

⁴ Vide op. cit. p. 177, et *Bibl. Belg.* t. II, p. 907.

Ex professione sua evocatus est ad praesidentiam magni concilii Mechliniensis.

Liberos habuit eruditione et dignitate claros, quos etiam Guicciardinus in Belgica Historia celebrat. Primus fuit Petrus Hieronymus Everardi, juris utriusque doctor Lovaniensis, canonicus Praemonstratensis in Middelburgo et pastor oppidi Vlissingensis. Secundus, Everardus Nicolai, qui primum claruit praesidens Frisiae, deinde anno 1560 obiit praesidens parlamenti Mechliniensis. Tertius, Nicolaus Nicolai Grudius, eques, Philippi Hispaniarum regis consiliarius, illustris ordinis Velleris Aurei graphiarius, qui Gerardo a Groesbeke, episcopo et cardinali Leodiensi, dedicavit priorum Poematum libros duos. Quartus, Adrianus Nicolai Marius, cancellarius Geldriae. Quintus fuit Joannes Secundus, Hagiensis poeta, primum Paulo pontifici, deinde Carolo V a literis. Cui adolescenti, apud S. Amandi urbem latrones silvatici aurum cum vita ademerunt. In cujus mortem sunt carmina fratrum ejus et Alciati professoris, cum ipsius poematibus excusa.

Patris natalis locus fuit Grypkerke extra Middelburgum.

Florentius Oom ¹.

Anno 1485, primus Jacobus Hooghstraeten, secundus Florentius de Hagi. *Schola artium*.

Jacobus de Rheno, Zierixiensis ².

Jacobus de Rheno, ecclesiae S. Livini Zierixiensis decanus, creatur anno 1495, die 11 junii, decretorum doctor cum tribus praecedentibus utriusque juris doctoribus, sub praeclarissimis viris Henrico de Minorivalla et Petro de Thenis.

Ejus corpus anno 1519 Lovanium delatum est. *Liber Bartoli Custodis*.

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 178.

² Ibid. p. 178.

Gualterus de Beka ¹.

Gualterus, cognomento Leeuwe, pro tempore rector Universitatis, in jure civili baccalaureus, nec non juris canonici licentiatus, creatur anno 1495 in jure civili licentiatus.

Anno 1498 die 8 octobris, fuit utriusque juris doctor cum Gabriele de Mera. Quorum tertius collega fuit in decretis Marcus Steenberch, praepositus S. Hermetis Rothnacensis et decanus S. Gudulae Bruxellensis, sub praestantissimis viris Petro de Thenis et Petro l'Apostole.

Dionysius Vischaven ².

«Dionysius Vischaven, Mechliniensis, hujus templi presbyter, canonicus, artium et decretorum doctor celeberrimus, qui viginti octo annis Decreta praelegit, summisque semper laboribus christianam rempublicam adjuvit. Obiit, magno relicto sui desiderio anno virginiei partus 1531, mensis aprilis die 7. » *Monumentum ad altare S. Sebastiani.*

Cornelius Meldert, Bruxellensis ³.*Nicolaus de Bruxella* ⁴.

Secundus, Nicolaus de Capella, de Bruxella. *Schola artium, anno 1488.*

Nicolaus Heems de Capella, Bruxellensis, anno 1503, 7 februarii, in Facultate legum accepit insignia doctoralia, quando Vischaven et Meldert eadem in Facultate juris pontificii acceperunt. *Acta.*

Scripsit Compendium institutionum imperialium, quod Martinus Alostensis et Servatius Sassenus excuderunt.

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 178.

² Ibid. p. 179.

³ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 180.

⁴ Seu *Nicolaus Heems*, Bruxellensis. Ib. p. 180.

Joannes de Palude ¹.

In jure canonico licentiatus et in sacra theologia baccalaureus formatus, accepit insignia doctoralia in Facultate juris canonici anno 1510, 2 octobris, sub praeclarissimis viris Petro de Thenis et Gualtero de Beka, et cancellario Adriano sexto.

Petrus Zelle ².

Creatur ab Adriano sexto, tunc cancellario Universitatis, legum doctor anno 1501, 2 octobris, moritur anno 1551, ultima augusti, sepultus ante altare Trinitatis sub saxo Wyckhuysen.

Franciscus Craneveldius ³.

Patria Neomagensis, accepit anno 1510, 2 octobris, utriusque juris insignia doctoralia.

Ex scholastica professione evocatus est a senatu Brugensi et ab eis ad magnum concilium Mechliniense.

Latinos fecit Procopii libros sex de aedificiis Justiniani. Quibus Theodorus Adamaeus Snallebergius, filiorum ejus praeceptor, annotationes adjecit.

Obit consiliarius Mechliniensis anno 1564, in S. Francisci.

Ex liberis ejus tres in dignitate supersunt: Judocus, cancellarius Geldriae, ob fidem exul, Leonora, praefecta monasterii Millensis ad S. Trudonem, et Maria, praefecta Albarum dominarum Lovanii.

Joannes Stephani, Nivellensis ⁴.

Anno 1517, die 18 augusti, accepit in legibus insignia doctoralia. *Acta Facultatis.*

¹ Vulgo *Van den Broeck*. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 180.

³ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 181.

⁴ Ibid. p. 182.

² Alias *Winckel*, Herenthaliensis. Ibid. p. 181.

Fuit pensionarius magistratus Lovaniensis, postea canonicus secundi capituli et primarius juris civilis professor.

Obiit anno 1520, die 27 octobris, sepultus in ambitu Carthusiae, ubi marmore tegitur et in muro tabulam habet.

Ludovicus Schorus, Lovaniensis ¹.

Petrus Hieronymus Everardi, Ordinis Praemonstratensis, Ludovicus de Schore, Judocus de Gavere in utroque jure, et Joannes de Haze in legibus doctores creantur anno 1520, 22 maii.

Quum bene lustrasset sinuosa volumina juris,
 Praelegit leges, Justiniane, tuas.
 Sacratos vixdum doctoris adeptus honores,
 Nativa summus rector in urbe fuit.
 Mechliniae hinc coepit clarere senator in aula,
 Edens ingenii dona stupenda sui.
 Mittitur idcirco regem legatus ad Anglum:
 Bis Francum Caroli nomine missus adit.
 Inde reversus, ad Hesperios accessit Iberos,
 Hinc decus huic merito Caesar equestre dedit.
 Protinus incolumem post tanta pericula Caesar
 Majori dignum duxit honore virum;
 Illustris Statuum fit ad alta palatia praeses,
 Secretique capit munera concilii.
 Cunctarum tradit ditionum Caesar habenas,
 Quas nunc inferior noster hic orbis habet.
 Hoc censore fuit magnas perpessa ruinas
 Haeresis, in multis hydra coorta locis.
 Adjunxit Carolo validos ad bella Sicambros,
 Consilio dirimens praelia capta suo.

Altare Schori ad Augustinienses.

Scrpsit consilium de nuptiis Henrici Anglorum regis, quum causa ea Romano pontifici dijudicanda proponeretur ². Quod typis in-folio excusum Joannes Verhaghen, carissimus doctor et officialis, mihi se legisse asseruit,

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 182.

veteres Lovaniensium Theologi efferrri possunt, p. 4

² Vide nostram orationem *de Laudibus quibus* et 40, not. 9.

et semel tantum vidisse. Videtur enim Schorus noluisse id publicare omnibus.

Judocus Gaverus ¹.

Huic viro praeter juris professionem undequaque doctissimo scripsit Erasmus epistolam de morte Joannis Naevii, regentis Liliensis. *Lib. XXIII.*

Joannes Hazius, de Torcondio ².

Joannes Hazius, Torconiae apud Insulas natus, primarius legum professor, obiit sexagenarius anno Domini 1547.

Joannes de Myrica, Lovaniensis ³.

Vitam viri Dei domini Joannis a Myrica legum atque canonum doctoris eximii, et sancti Evangelii secundum conversationem integerrimi professoris Franciscus Titelmannus peculiari libro per sedecim capita descripsit, qui Antverpiae est excusus ⁴.

Docuit Fratres Minores, sola suae caritatis voluntate obstrictus, per ultimum triennium vitae suae, casus conscientiae juxta canonum veritatem. *Titelmannus, cap. 15.*

Dominicus Cakaert, Teneramundensis ⁵.

Fuit primarius juris canonici professor. Qui dum defuncti Hazii pietissimam filiam Elberto Leonino sponsam tradit, in nuptialibus prandiis, dum Geldrensibus amicis ad pocula assuetis nonnihil se accommodat, in infirmitatem incidit, quae eum canonum scholae intra octiduum eripuit.

¹ *Judocus Vroye* seu *Vroode*, de Gavere. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 182.

² Seu *Joannes de Haze*, Torconiae in agro Insulensi natus anno 1486. Ibid. p. 184.

³ Eo rectore Lovaniensis Academia primum

saculare jubilaecum celebravit an. 1526.

⁴ Exstat etiam Titelmanni oratio funebris de eodem de Myrica.

⁵ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 184.

Praelectiones ejus non paucae exstant in Wamesii bibliotheca.

Liberis carens, multa cum uxore sua pie legavit, sed testamentum ejus, quamvis a juris utriusque doctore primario conditum, multis litibus fuit obnoxium.

Vidua ejus Dympna Van den Wyngaerde, moriens anno 1571, die 28 januarii, alia pia legata superaddidit.

Michaël Driutius ¹.

« Venerabilis et eximius jurisconsultus D. Michaël Driutius, ortus ex Volkerinchoven, territorii Casletensis, artium et juris utriusque doctor, annis viginti octo ordinarius decretorum professor, hujus ecclesiae presbyter, canonicus et decanus, Academiae Lovaniensis cancellarius, spiritualis curiae R^{mi} episcopi Leodiensis officialis, nec non haereticae pravitatis inquisitor generalis, fundator collegii Driutiani, continuis summisque laboribus et vigiliis, causa reipublicae christianae confectus, obiit 16 septembris anno 1559, aetatis suae 64, cujus animae Deus misereatur. »
Sepulcrum ante altare S. Ivonis.

Praelectiones, auctoris manu scriptae, conservantur in bibliotheca collegii sui.

Hermes de Wynghene, Rothnacensis ².

Petrus Amicus, de Ter-Tolen, Zelandus ³.

In legibus accepit insignia doctoralia, quando ea in utroque jure accipiebant Reinerus Joannes de Enchusia, praepositus Walcuriensis, Michaël Drioux, de Casleto, et Hermes de Wynghene, Rothnacensis.

Petrus, cognomento *Amicus*, juvenis moribus ingenioque longe candidissimo, complures annos egit cum Ægidio Buslidio, cujus liberos instituit; cui non aliter carus fuit ac filius ob fidei vitaeque sinceritatem. Est utriusque linguae pulchre peritus, ad haec in juris studio nec paucis annis nec infeliciter versatus. *Erasmus Craneveldio, lib. XV, ep. 5.*

¹ Vide Valerii Andrae op. cit. p. 185.

² Ibid.

³ Ibid. p. 186.

Joannes Lobellius.

Joannes de Bolonia, alias Lobellius¹, Philippi Nigri cancellarii cognatus, in jure pontificio doctor creatus anno 1534, 10 februarii. Cui Franciscus Sonck, Delphensis, in utroque jure collega fuit.

Hieronymus Blioul.

Anno 1531, decimus quartus Hieronymus du Blioul, de Bruxella, nobilis. *Schola artium.*

Juris utriusque doctor creatur anno 1539, die 6 maii, cum Gabriële Mudæo, quem sibi ob claram eruditionem in doctoratu collegam assumpsit, solus ferens prandii expensas.

Fuit his rector Universitatis et ecclesiae D. Petri canonicus.

Sed ad decanatum ecclesiae Bredanae evocatus, in ea dignitate obiit.

Antonius de Lalaing.

Anno 1535, januarii 26, promotus est ad doctoratum nobilis dominus Antonius de Lalanis, Sanctae Sedis proto-notarius apostolicus.

*Gabriël Mudæus*².

Anno 1525, primus Gabriël de Muden, de Brecht. *Schola artium*³.

*Reinerus Tengnagel*⁴.

Reinerus Tengnagel, de Arnhem, Vulmarus Bernaerts, ab Eeck, et Lu-

¹ Vulgo *Lobel*, Morino-Boloniensis. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 187.

Vide ibid. p. 187, et *Analecta* calendarii nostri academici 1844, p. 166 et 208.

² Alia manu in Molani codice adscriptum est: *Habet lapidem sepulcralem, cum armis et titulo apud S. Michaëlem.*

⁴ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 188.

dovicus Pori, ab Aria, creati juris utriusque doctores anno 1547, 30 augusti.

Fuit Reinerus multis annis ordinarius Institutionum professor.

Reliquit posteris aliquam sui memoriam, edendo tabulas Institutionum.

Vulmarus Bernaerts, Flander ¹.

« Clarissimo ac doctissimo viro D. Ulmaro Bernartio, Eeckensi, artium et utriusque juris doctore, et primario professori juris canonici, ab eo duos et viginti annos explicati, hujus ecclesiae canonico et Universitatis sextum rectori. Qui nomine ordinis ecclesiastici hujus regionis concilio Tridentino interfuit, haeredes moesti posuere. Obiit anno 1570 decimo kal. februarii, annos natus sexaginta, relicto, ad duorum juris studiosorum alimentum, redditum sexaginta aureorum. Ei pacem precare. » *Monumentum in capella Divi Ivoonis.*

Fuit in docendo diligentissimus, qui nunquam ob praxim et consultationes studio praelectionis suae, quod ordinarium erat per duas horas, quicquam detrahere voluit.

A Maximiliano de Bergis, archiepiscopo Cameracensi, ad ecclesiae ejus canonicatum vocatus, Joannem Ruckebusch cognatum suum commendavit, quem non multo post cathedrale collegium in decanum elegit.

Ludovicus Pori, Aëriensis ².

Nicolaus Der Villeers, Montensis.

Creatur utriusque juris doctor cum Elberto Leonino, Christophoro Gendt et Dionysio S'Groots, anno 1550.

Fuit sacerdos, praesidens collegii Donatiani, vir prudens, quater Universitatis rector.

Atrebatum vocatus ibidem intra medium annum officialis moritur, non-

¹ Vide Valerii Andreae op. cit. p. 189, et nostram disquisitionem de concilio Tridentino, p. 31.

² Vulgo *Pouris*, Aëriensis in Arthesia, juris utriusque doctor renunciatur die 29 novembris 1542.

dum obtenta praebenda, et proinde necdum resignata praebenda et professione Lovaniensi.

Elbertus Leoninus ¹.

Dionysius S'Groots ².

Anno 1559, primus Dionysius S'Groots de S. Trudone. *Schola artium*.

Joachim Hopperus ³.

Scriptis dispositionem in libros Institutionum; in libros Pandectarum; de juris arte libros tres; juris pontificii et civilis librum singularem; de Obligationibus.

Fuit Frisius, patria Snecanus.

Claruit primum Mechliniae, deinde Bruxellae consiliarius privati concilii, postremum Madritiae in Hispaniis supplicum libellorum magister sive praeses Belgicorum negotiorum.

Anno 1553, die 13 decembris, ad requisitionem senatus et studiosorum, acceptat lectionem in Pandectas. *Acta magistratus*.

Joannes Vendvillius ⁴, *Insulensis*.

Acolythus accepit Lovanii uxorem ex familia S. Petri, ex qua unicum habet filiam, quam elocavit Leonardo Boxhore, rationum regiarum magistro.

Deinde ex professione Lovaniensi evocatus ad professionem novae Universitatis Duacensis.

Postea a regia Majestate vocatus est ad senatum secreti concilii Belgici. In qua dignitate constitutus, et uxore orbatus, ad sacerdotium processit. Magnoque semper zelo catholicos et catholicam religionem promovet.

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. I p. 254.

² Vide Valerii Andreae op. cit. p. 190.

³ Vide *Bibl. Belg.* t. I p. 586.

⁴ Vulgo *Vendeville*.

Quod seminaria regiae Majestatis Lovaniense et Duacense, episcopi, pastores multique alii ejus opera et patrocinio adjuti libenter agnoscunt ¹.

Petrus Peckius ².

Scriptit in Regulas juris; de reaedificandis ecclesiis; in titulos de re nautica; de jure sistendi et manuum injectione; de testamento mariti et uxoris; de legatis; de amortizatione bonorum a principe impetranda. Opera excusa Lovanii, Duaci, Coloniae.

Anno 1582 evocatus est Mechliniam ad sacrum et magnum senatum parlamentum.

Ob cujus discessum magnus fuit scholae et Universitatis luctus. Erat enim in praelectionibus scholae diligentissimus, et ob integritatem vitae et consiliorum omnibus et singulis in Universitate gratissimus.

Joannes Molinaeus, Gandavensis ³.

Molinaeus, Ramus et Vanderanus fiunt juris utriusque doctores anno 1559, 3 octobris.

Obiit regius Decretorum professor, decanus ecclesiae D. Petri et cancellarius Universitatis, ex urbe rediens, Lovanii apud Fratricellos, mente laesus, anno 1565, in die S. Michaëlis.

Quum enim in decanum electus esset a tribus ecclesiis, duabus Lovanii et ecclesia S. Bavonis Gandavensi, quum in aula versaretur, quum memoria, eloquentia et aliis dotibus clareret, quum ex magno major videretur futurus, quando malo quorundam consilio, variis litibus sese involvit, per eandem se ipsum perdidit.

¹ Magna cum sanctitatis opinione obiit episcopus Tornacensis die 3 octobris 1592. Typis paratam habeo Vendevillii vitam cum ipsius ineditis ad Gregorium XIV literis de constituendis semi-

nariis clericorum, deque comparandis operariis pro missionibus.

² Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 999.

³ Vide supra p. 157.

Joannes Ramus, Gosanus ¹.

Ramus pietate, eruditione et eloquentia clarus, ex collatione Statuum professor Pandectarum, reliquos professores multitudine auditorum superavit.

Quamquam autem magnae fuerit apud omnes doctos existimationis, audio tamen pluris eum auditores fecisse quam magistros, eo quod a regia via communis opinionis, quae plerumque tutior est, non uno in loco recederet.

Edidit de Tutelis libros duos, Lovanii apud Gravium, anno 1558; æconomiam et enchiridion regularum juris; rerum Turcicarum libros duos; carmina de gestis archiducum Austriae. Hesiodi Ascraci poëma de Clypeo Herculis transtulit.

Quum ad Ingolstadiensem professionem vocatus, ob Belgii turbas et miserias declinandas, abire vellet, mittitur a Joanne ab Austria ad professionem Dolanam. Sed quum mortalitas ei proficiscenti matrem et ex curru duas filias aufert, Dolam tristis veniens, antequam professionem auspicaretur, in morbum incidit, et moritur anno 1578, in die S. Catharinae.

Petrus Vanderanus ², *Lovaniensis*.

Quum vixdum discipulus esse desiisset, edidit Enchiridium judicarium et alium librum de Privilegiis creditorum, Lovanii apud Phalesium.

Postmodum doctor et ordinarius professor ex commendatione Joannis Molinaei, fit Bruxellae consiliarius Brabantiae.

Nec multo post fit praeses provincialis concilii in ducatu Luxemburgensi.

Joannes de Bievène, Montensis.

Bievène, Herenbout et Cavertson creantur utriusque juris doctores anno 1565, 25 septembris.

¹ Vide Paquot, op. cit. t. VI, p. 185.

² Scu Van der A. Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 1016.

Joannes de Bievène, sacerdos, canonicus Montensis, ibidem consiliarius extraordinarius, Ægidii de Bievène consilarii ordinarii provinciae Hannoniensis, qui tamen tantum quatuor sunt, filius, Lovanium rediit ad Decretorum professionem.

Michaël Herenbout, Mechliniensis.

Drutatio successit in Decretorum ordinaria professione et in canonicatu, sed absque praebendae emolumento, quia sacris non initiabatur.

Elapso biennio, conjugium meditans, canonicatui et annexae professioni renuntiavit; unde uxoratus aliam a magistratu professionem obtinuit.

Fuit ingenii sedati, mansueti et tranquillii, quod ejus eruditionem decoravit.

Obiit ex mortalitate anni 1578, sepultus ad S. Michaëlem.

Gerardus Cavertson

Anno 1552 primus Gerardus Cavertson de Lovanio. *Schola artium.*

Pater ejus Wilhelmus Van Cavertson erat notarius Universitatis, avunculus vero Joannes Cool notarius conservatoris.

Uxorem duxit filiam Augustini Vranx, consulis, ex prima nobilitate Lovaniensi.

Obtenta a magistratu quotidiana Institutionum professione, doctor creatur anno 1565.

Viduum reliquit candidam, quae absente marito aut occupato saepe rusticis, consilia mariti nomine non infeliciter dabat.

Franciscus Goedhalsius, Brugensis.

Gisbertus Schoock, Bommelensis, Goedhalsius, Zuerius et Joannes Van Maalcote, Lovaniensis, creantur utriusque juris doctores, anno 1570, 5 junii. E quibus primus praemature obiit, quartus ad concilium Brabantiae est evocatus.

Goedhalsius scripsit ad senatum Brugensem de felici et infelici republica, Lovanii apud Bogardum, anno 1567; de dominii distinctione, ibidem.

Ex hac familia antea claruit Lovanii Balduinus Goethals, doctor in medicinis, vir bonae experientiae. *Acta Facultatis artium ad annum 1485.*

Philippus Zuerius, Antverpiensis ¹.

Propter vivacitatem ingenii, eloquentiam singularem, multarum linguarum peritiam, in publicis negotiis pertractandis multum valet et claret.

*

Stephanus Craesbekius, Lovaniensis.

Eodem anno 1570, die 29 augusti, fit utriusque juris doctor cum Joanne Verhaghen, Thoma Zoesio Amersfordiensi et Hieronymo Mudaeo Lovaniensi. E quibus Zoesius factus est advocatus fiscalis et primus consiliarius Trajectensis, Craesbeeck et Mudaeus consilarii Brabantiae.

Craesbekius pro Molinaeo aegrotante Decretum professus est. Sed quum tertium rector Universitatis esset, filiae Leonini desponsatus, ad senatum Brabantiae commigravit.

Joannes Verhaghen, Rimenantensis.

Praesidens collegii Buslidiani et officialis Mechliniensis, in causis dijudicandis multum exercitatus ².

¹ Vulgo *Swerts*. Vide Valerii Andreae op. cit. p. 197.

² Hoc loco in Molani codice ab aliena manu adscripta sunt aliqua Juris utriusque doctorum

nomina, quorum seriem habet Valerius Andreas op. cit. p. 197, quamque ad finem usque saeculi XVIII continuavi in *Analectis Kalendarii academici* an. 1843, p. 157.

CAPUT XX.

DE SCRIPTORIBUS ALIQUOT JURIS STUDII LOVANIENSIS EXTRA
COLLEGIUM FACULTATUM.

Gerardus Mulaert, Trajectensis ¹.

Licentiatus utriusque juris, scripsit additiones ad Florem testamentorum domini Passingerii, Bononiensis, excusam in Oceano juris et Parisiis apud J. Parvum, anno 1514.

Viglius Zuichemus, praeses.

Viglius Zuichemus, Frisius, praepositus S. Bavonis Gandensis, secreti concilii regiae Majestatis clarissimus praeses, ordinis Aurei Velleris cancellarius, Vigliani collegii fundator, de republica et Universitate optime meritus, scripsit Patavii commentaria in decem titulos secundi libri Institutionum juris civilis, quibus omnia paene testamentorum jura explicantur. Opus jurisconsultorum judicio doctissimum.

Ejus praelectiones in titulum Pandectarum de rebus creditis et ad titulum Codicis Justiniani de edicto Adriani tollendo, edidit Joannes Richardus assessor Spirensis, Coloniae apud Gervinum Calenium, anno 1582.

Quod si Viglius, aut Vigilius potius, theatrum quaerit in quo doctrinae suae specimen edat, non video, ubi id possit rectius quam Lovanii. *Erasmus Andreae Alciato, libri XXVI epistolarum.*

Judocus Damhouderius, Brugensis.

Eques auratus, utriusque juris doctor, Caroli V et Philippi II consiliarius et finantiae commissarius, multa praeclare edidit, inter quae sunt

¹ In *Bibl. Belg.* t. I p. 538 vocatur *Mulert*.

Enchiridion rerum criminalium, Praxis rerum civilium, Pupillorum patrocinium, Subhastationum exegesis, de Magnificentia politiae civitatis Bruggensis, Paraeneses christianae.

Quae varii typographi excuderunt, Lovanii, Antverpiae, Venetiis, Lugduni.

Hieronymus Francus, Duacenus.

Scriptis ad Robertum a Bergis, Leodiensem episcopum, in Regulas juris, Basileae anno 1558, in-8°.

Creabatur Lovanii licentiatus anno 1556, die 26 aprilis.

Matthaeus Wesembekius ¹.

Philibertus Brusselius, Mechliniensis.

Clarissimus consiliarius privati concilii, scripsit de conditionibus libros quatuor. Obiit Antverpiae anno 1569, in adventu tertiae sponsae Philippi regis Hispaniarum.

Thomas Linius.

Edidit annotationes in Institutiones Justiniani, Francofurti anno 1553, in-folio.

Fuit patria Bommelensis, sed propter tumultus, qui tum erant apud Bommelenses, quum Lovanii studeret, Buscoducensem se vocavit. Creabatur licentiatus anno 1536.

Balthazar Ayala.

Exercitus regii apud Belgas supremus juridicus, edidit de jure et officiis bellicis et disciplina militari libros tres, Duaci apud Bogardum anno 1582.

Est patria Antverpiensis, ex patre Hispano.

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 869.

Petrus Ligneus, Gravelinganus.

Creatur licentiatus juris anno 1554, die 27 septembris.

Annotationes ejus in Institutiones imperiales impressit Bellerus, Antverpiae anno 1558.

Franciscus Sonsbekius, Swollanus.

Edidit commentarium ad usum feudorum, Lovanii anno 1554, in-folio, impensis Biremannorum.

Philippus Wielandt¹.

CAPUT XXI.

MULTOS JURISCONSULTOS EX SCHOLA LOVANIENSI AD HONORES
ET DIGNITATES PROMOVERI.

Vulgaris versiculi pars est: « Dat Justinianus honores. » Certe multos per studium juris claros non solum in Belgio, sed et alibi, ad honores, dignitates et publicas functiones ob eruditionem et prudentiam suam, a condita Universitate in hunc usque diem, evectos esse et evehi, ex innumeris exemplis clarum est.

Wilhelmus Zenocarus a Schauwenburgo, eques, Caroli et Philippi regum consiliarius et bibliothecarius, Bincorstii toparcha, in libris de re publica, vita, moribus, gestis, fama, religione et sanctitate Caroli quinti, ubi meminit Lovanium clarissimam esse omnium Belgicarum et Germanicarum urbium Academiam, primum ejus rei testes producit gravissimos doctissimosque theologos, clarissimos jurisconsultos, medicos experientissimos, philosophos acutissimos, oratores et mathematicos, qui in Academia vivunt. Deinde subdit multos in omnibus senatibus Belgicae senatores

¹ Vide op. cit. t. II p. 1043, et Paquot op. cit. t. XV p. 48.

eruditissimos ex Lovaniensi Academia profectos clarere. E quibus quum omnes numerare non conveniat (ut in eo opere septenario numero libenter utitur) ter septem testes, quorum familiaritate prae caeteris usus est, nominat. Ex iis qui provincias administrant, Adrianum Marium Nicolai, Geldriae cancellarium; Hippolytum Persinium, praesidem Trajectensem; Carolum Nycenum, Frisiae praesidem; Jacobum Martinium, Flandriae praesidem; Joannem Scheyfium, Brabantiae cancellarium; Everardum Nicolai, Mechliniensis magni concilii praesidem, et Viglium Zuichemum, privati concilii praesidem, omnes rerum gerendarum administrandarumque provinciarum scientissimos.

Ex Mechliniensi senatu nominat Colinum, Plessiacum, Bergium, Molenarium Ortrinum, Hopperum, Oudergerstium, doctissimos senatores et viros generosissimos.

Ex concilio privato recenset Philippum Nigri, Aurei Velleris cancellarium, Mardici toparcham, virum, cum in utroque jure reddendo, tum in regenda re publica gravissimum; Hermetem a Wynghene, Rotornacensem, virum multarum legum totiusque juris callentissimum, Philibertum a Bruxellis, singularissimum omnium jurisconsultorum et summorum senatorum et maxime illius privati concilii et concilii Statuum ornamentum et decus incomparabile; Carolum a Tysnaco, virum omnium divinarum atque humanarum rerum peritissimum, quam maxime ad Philiberti laudes aequandas superandasque accedentem, Joachimum Houzoctium, Christophorum Assonvilum, Philippum Cobelium, praeclarissima tria ingeniorum ingeniorum specimina.

Quos ego, subdit, septem concilii privati prudentissimos senatores honoris hic causa nomino, caeterisque pro exemplo et scopo propono, in quem virtutum suarum sagittas et tela dirigant.

Qui autem Zenocarus nullam facit mentionem jurisconsultorum, qui ad ecclesiasticas dignitates ex Lovaniensi Academia profecti sunt; honoris causa novem producam testes: episcopos tres, Remigium Driutum ecclesiae Brugensis, Petrum a Pintafloris dioecesis Tornacensis, Maximilianum Morillonium Pintaflori successorem; archiepiscopos totidem: Maximilianum a Bergis Cameracensem, Fredericum Schenck a Tautenburch Trajectensem et Ludovicum a Berlaymont Cameracensem. Denique Romanae Ecclesiae cardinales tres: Wilhelmum Enchevordium, episcopum Trajec-

tensem, Antonium Perrenotum, archiepiscopum Mechliniensem, et Gerardum a Groesbeeck, episcopum et principem Leodiensem.

CAPUT XXII.

MEMORABILIA QUAEDAM FACULTATUM JURIS.

Evocatio Jasonis a Mayno.

Quum Robertus Viruli, licentiatus juris, praeceptorem suum Jasonem a Mayno, Mediolanensem, famosissimum juris utriusque doctorem, ad professionem Lovaniensem evocaret, rescripsit Jason: « In hac florentissima Ticinensi Academia, ut et ipse scis, recipio salarium annuum ducentorum quinque centum auri. Si ibidem consequi possum scutos mille singulo anno, offero me paratum ad veniendum. » *Papiae, 4 septembris anno 1484*¹.

CAPUT XXIII.

DE FACULTATE MEDICA.

Professores praebendati.

Professores, praebendas secundi capituli habentes, duo sunt, qui alternis mensibus docent.

Professor primarius.

Prima lectio fieri solet hora decima per duos professores, qui ultimi fuerunt Arnoldus Noot et Leonardus Willemaers.

¹ Alia memorabilia desiderantur in Molani codice.

Caeterum anno 1543, magistratus ex duabus professionibus unam fecit, eamque contulit, sollicitantibus studiosis, Hieremiae Trivero. Cui deinceps successerunt Wilhelmus Bernartius, Joannes Wiringus.

Professio artis parvae Galeni.

Anno 1558 instituta est professio in artem parvam Galeni, quam primus habuit Nicolaus Biesius ¹

CAPUT XXIV.

NOMINA CELEBRIORUM PROFESSORUM MEDICINAE.

Joannes de Neele.

Unicus fuit medicinae doctor, quando Wilhelmus Nepotis primus creabatur Universitatis rector anno 1426, die 6 septembris. *Instrumentum creationis.*

Dominus Joannes de Neele, presbyter, in artibus magister et in medicinae doctor, jacet in capella Walteri Dathyns. *Anniversaria S. Petri, III idus juli.*

Erat anno 1427 primum, anno 1437 tertium rector Universitatis.

Huic magistratus contulit anno 1431, die 7 junii, lectionem ordinariam Henrici Custodis ab Oosterwyck. *Liber B. fol. 38.*

Joannes de Wesalia ².

Joannes de Wesalia, doctor in medicinis, Lovanium venit anno 1429. *Matricula Universitatis.*

¹ Hic folio 534 verso notat Molanus : *Rhodio, per Status 200 flor.*

² Magni Andreae Vesalli atavus.

Joannis de Wesalia, Bruxellensis, medicinae doctoris, exhortatio super calendarii correctione ad Eugenium papam est in Viridi-Valle, Zoniae monasterio. *Index*; sed periit.

Placuit pluralitati magistrorum, quod rogaretur dominus Joannes de Wesalia, doctor in medicinis et expertus in astronomia, ut vellet in scholis artistarum mathematicam legere. *Acta artium ad annum 1451*.

Joannes Stockelpot, Lovaniensis ¹.

Dimittitur a Facultate artium doctorandus in medicinis anno 1453, ad diem 26 martii.

Claruit pastor in ecclesia S. Jacobi, ad quam capitulum Aycuriense admisit anno 1456.

Fuit etiam primus in Facultate medica canonicus in capitulo secundae foundationis, quod ex singulis Facultatibus duos habet professores.

Eum in praxi claruisse, et Joannis Spiringi iudicio non incelebrem fuisse, manus Spiringi aliquoties attestatur. *In Bibliotheca D. Remberti Dodonaei*.

Everardus de Wesalia.

Quarto kal. augusti obiit magister Everardus de Wesalia, in medicinis doctor et in armis miles. Jacet juxta altare Sanctae Trinitatis. *Anniversaria S. Petri*.

Henricus Scatter.

Anno 1455 in magnificum almae Universitatis rectorem, via Spiritus Sancti, elegitur Henricus Scatter, artium et medicinae doctor, chorepiscopus Trajectensis.

In prima sessione Basileensi nominatur decanus Trajectensis. Erat autem non decanus chori, sed ruralis aut primus inter rurales, quem Leodienses decanum decanorum vocant; veteres aliqui, humili vocabulo, sub-diacono-

¹ Vide supra p. 153.

num; synodus Antissiodorensis archi-sub-diaconum; ecclesia Trajectensis hactenus retinuit nomen chorepiscopi, ut tractavi libro II de Canonicis, cap. 52.

Hic postea fuit decanus Leodiensis, ut videre licet in reformatione ecclesiae Aycuriensis, supra libro III, cap. 26.

Adamus Bogaert.

Adamus Wilhelmi Bogaert de Dordracō, septimum Universitatis rector, obiit anno 1482, die 18 martii, sepultus ante altare S. Lucae.

Fundavit duas bursas florenorum viginti quinque, ad quas post consanguineos caeteris praeferrī vult suos et quondam uxoris suae conterraneos, Dordracenses et Schoonhovianos. *Testamentum.*

Hujus foundationis, quae ad unam bursam retracta est, provisio est penes collegium Medicorum, collatio penes primum in familia Jacobi Bogaert medici.

Ludovicus de Vettere, Diestensis.

Joanni de Wesalia redeunti in ordinaria lectione matutina cessit. *Acta Universitatis anni 1446.*

Obiit anno 1460 canonicus secundae foundationis. *Acta Universitatis.*

Pro anima ejus et sua Joannes Leyten, ab Hasselt, ethicus, fundavit quatuor missas hebdomadatim, donans capellanis quinque domos. *Testamentum Leyten, anno 1476.*

Joannes Spierinck.

Joannes Spiringus, repudiatis exoticis et Turcicis, et plerumque in odium Christianorum corruptis, fucatis, viliatis et infectis herbis, maluit nostratibus uti, et ideo feliciter caeteris sanavit. Si enim Plinio, si Galeno, si caeteris probatissimis medicis credimus, nullae medicinae homini aegrotanti commodiores, magis salutare, magis praesentes sunt, quam conter-

ranae, quo ejusdem sint coeli, loci, crasis et ingenii, et aegrotantis naturae amicissimae. Sicut contra nullae magis noxiae, quam exoticae, ob diversam pugnantemque indolem. Unde veteres et nobilissimi quique medicorum non nisi herbis vernaculis et suae regionis utebantur. *Liber de medico ecclesiastici ad Apium.*

« Joannes Spierinck, hujus ecclesiae canonicus, Philippi ducis Burgundiae et Brabantiae physicus, substantiam sacris aedibus, egenis et fidis famulis reliquit, mortuus anno 1499, die 7 octobris. » *Sepulcrum ante altare D. Ursulae.*

Habitavit in ea domo, quae nunc est collegium Driutii, ut pisces, a quibus cognomen habuit, in aedificio attestantur. Immo ab eodem vicus ille reservavit nomen, ut dicatur *Spierinck-straetken.*

In alia domo, quae est sub protectione pastoris S. Petri et magistri Magni Hospitalis, fundavit medicis bibliothecam, quae per praesidium militare anno 1578 multum periit.

Fuit vir mirabilis in praxi, cujus multae narrantur stupendae curationes. Utebatur autem maxime rebus naturalibus et simplicibus ¹.

Hac etiam de causa senatus ei annum obtulit honorarium. *In libro ordinationum fol. 67.*

Collectanea ipsius Rembertus Dodonaeus conservat, inter quae est unum volumen, quod intitulavit *Omnia.*

Joannes de Wellis.

Deputati oppidi rogant rectorem et Universitatem, ut inducant Facultatem medicinae, ut acceptet dominum Franconem in medicinis doctorem ad praebendam vacantem per mortem domini Joannis Wellis, ad eandem praebendam praesentatum. Universitas commisit Facultati medicae, attentis eorum statutis. *Acta ad annum 1476, 9 septembris.*

¹ Erat Spiringus intimus Adriani VI amicus, cavit, ut legitur supra p. 156. eumque Lovanii adhuc agentem a morte vindi-

Gaspar Aegidii, de Leodio.

Fundavit in sacello clericorum sacrum quotidianum duorum stuferorum, anno 1507.

Joannes Calaber.

« Hoc conditus est sepulcro Joannes Calaber, natione Lovaniensis, vir et doctrina et pietate in Divos insignis, medicae professor artis et summo rectoratus honore ter functus; in pauperes quoque et egestate pressos homines, quamdiu vixit, liberalis. Obiit multum senex, anno salutis humanae 1527, die 14 julii. » *Chorus Sanctae Crucis ad Albas Dominas.*

In hoc choro donavit altare et fenestram in qua ejus dictum est CUNCTA PACE FIUNT, et UXORIS LITE CUNCTA RUUNT.

Ibidem, cum uxore et amita, fundavit quotidianum sacrum, quod postea Leo. X in beneficium crexit. *Litterae.*

Jacobus Bogaert.

Abstulit e vivis Bogardum fera Jacobum
 Mors, sed ab annoso saepe vocata senec.
 Corpore quandoquidem jam fractus, pectore toto
 Spirabat Christum, coelicolumque choros.
 Sancta maritalis servavit foedera lecti,
 Clarus septenae prolis honore pater.
 Conjuge defuncta, thalamum tacidasque perosus,
 Sacra sacerdotis munia castus obit.
 Annis triginta nec non sex, dogmate certo
 Hic docuit medicas gymnasiarcha scholas.

Obiit anno 1520, die 17 julii. Orate pro eo. *Epitaphium ad altare S. Lucae.*

Fuit canonicus secundae foundationis. Hic conditionis suiae haeredem habuit Jacobum Bogaert, filium fratris sui Arnoldi.

Sepultus est ad altare S. Lucae, ubi etiam exstat memoria patrum ejus Adami.

Mortua uxore cum primogenito filio suo Wilhelmo uno eodemque die factus est sacerdos.

Habuit praeterea inter liberos Arnoldum consiliarium Mechlinsiensem, patrem moderni Bogaert consilarii; Adamum doctorem medicinae, post mortem uxoris Minoritam; Joannem medicinae doctorem, qui uxorem habuit sororem dominae Rodolphi Absaloens consilarii Bruxellensis, et ex illa duos medicinae doctores, Jacobum et Arnoldum. Inter filias fuit Margareta, uxor doctoris Winckelii.

Joannes Heetvelt ¹, Lovaniensis.

Primus omnium ausus est matulas contemnere, et contra veterum quorundam sententias, magis simplicem medendi viam aperire, investigatis coram aegrotantis moribus, conditionibus, diaetis, crasi, habitudine et caeteris. *Liber ad Apium de medico ecclesiastici.*

Erat in sermone impeditus, in habitatione semotus (est enim domus ejus in *den Ham*), sed tamen in praxi famosus, ad quem undique confluebant.

Obiit anno 1539, die 8 aprilis. *Saxum et tabula ad S. Gertrudem.*

Fuit de familia patriciorum Bruxellensium et Lovaniensium.

Adamus Bogaert ², Lovaniensis.

Anno 1512, die 25 maii, creantur doctores Joannes Loen de Turnhout, Gaspar de Lact de Borch-Loen, Ægidius de Pape Lovaniensis et Adamus Bogaert filius doctoris Jacobi. *Acta.*

« Jacet hic in choro sepultus venerabilis pater F. Adamus Bogaert, sacerdos, praedicator et confessor, hujus loci aliquando guardianus, olim medicinae doctor eximius, qui vinculo matrimoniali solutus, contemptis mundi pompis, carnisque illecebris, totius humilitatis, patientiae ac religionis factus est speculum, amator sanctae paupertatis, chori et communitatis sectator indefessus, pauperum infirmorum ad poenitentiam consolator sollicitus. Qui sicut placidis admodum moribus fuit et spiritu fervidus, ita

¹ Seu *Van den Heetvelde*.

² Cfr. supra p. 237.

placidissime inter verba orationis quievit in Domino, anno 1550, 25 martii. » *Apud Minores.*

Joannes de Winckele.

Joannes Winckele, puer, anno 16 primum locum in studio artium adeptus, juri animum adjecit. Quumque in hoc studio versaretur, pater moriens ei et duabus filiabus conjugatis, quarum una, Clara, proles habuit, collegium juris haeredem substituit, si sine liberis morerentur.

Mirum fuit patrem tam remotam habuisse cogitationem, sed Deo disponente prudenter fecit. Æquivocus ejus filius, mortuo patre, incidit in gravissimum languorem, et quum omnes medici dicerent eum non perventurum ad aetatis annum 28, ut se juvaret, medicinae studium amplexus est et gradum doctoratus solus accepit, anno 1515; vixitque annos 64, vir summae auctoritatis et prudentiae in Universitate.

Qui patris sui extremam voluntatem, quoad collegium Winckelianum pro studiosis juris non modo complevit, sed etiam superdotavit.

« Hic jacet spectabilis vir D. Joannes a Winckele, civis Lovaniensis, artium et medicinae doctor insignis, verae pietatis et publicae utilitatis cultor perpetuus. Obiit anno 1554, die 27 martii. » *Monumentum ad S. Petrum ante venerabile Sacramentum.*

Arnoldus Noot, de Hallis.

Anno 1526, die 25 aprilis, creantur doctores Arnoldus Noot de Hallis, Joannes Moonen de Oosterwyck, et Joannes Heems, presbyter, de Armenteria.

Obiit Hallis anno 1556, die 27 augusti, sepultus ad S. Claram.

Leonardus Willemaers, Lovaniensis.

Solus creatur doctor anno 1527, die 24 septembris ¹.

¹ Hic folio 357 verso Molanus notat ima pagina: *Privatur ab Universitate lectione medicinae anno 1543.* Non liquet tamen an illud intelligendum

sit de Leonardo Willemaers, quem una cum Arnoldo Noot ad annum usque 1544 medicinae professorem ordinarium et primarium fuisse constat.

Joannes 'S Bruynen, de Soemeren.

Anno 1530, die 10 julii, creantur doctores Joannes de Soemeren, Jacobus de Moor de Mechlinia et Jacobus Liezaert Belvacensis.

Hieremias Triverius¹, Brachelius.

Anno 1522, primus Hieremias de Drive, de Gerardi Monte. *Schola artium.*

Anno 1537, die 6 maii, creantur doctores Rumoldus de Mechlinia, Hieremias Triverius de Gerardi Monte, Paulus Roels de Teneramunda et Eligius Morelius de Aldenardo.

Scriptis Hieremias in Artem medicam Galeni; de temperamentis; in librum Hippocratis de ratione victus in morbis acutis; in Hippocratis Aphorismos; de missione sanguinis in pleuritide et aliis phlegmonis; de victu ab arthriticis morbis vindicante; disceptationem de securissimo victu perperam a neotericis praescripto; de temporibus morborum et opportunitate auxiliorum; adversus Leonardi Fuchsii apologiam de missione sanguinis in pleuritide.

Scripta ejus nunc pluris fierent, si observasset illud sui discipuli Wilhelmi Pontini. « Ego in approbatis atque antiquis opinionibus acquiescere, quam novas extruere, aut defendere, aut ingenio nimium fidere, mihi jam pridem non modo tutius, sed etiam fidelius honestiusque esse persuasi; maxime si evidente manifesta etiam ratione confirmantur. »

Claruit primarius medicinae professor.

Joannes Favellius.

Anno 1539, creantur doctores Joannes Favellius de Valencenis, Gisbertus Rosaeus de Gennep, alias Rooskens de Sevenhem, et Carolus Goossens de Brugis.

Favellium medicum comes Berlemontius summe adamavit, et in civilibus rebus Namurcensibus praetorem fecit.

¹ Vide Paquot, op. cit. t. VII, p. 179, et Analecta Kalendarii academici an. 1846, ubi p. 247 exstat de Triverii vita et scriptis commentatio, conscripta a facultatis medicae professore P. Haan.

Filia Favellii Joannem Croy, dictum Salsedo, gubernatorem oppidi Lovaniensis, letaliter dum vigiliam lustrat vulneratum, antea sclavum in Turcia, maritum suum carum, anno 1580 Lovanii ad Minores sepelit.

Carolus Gosuinus¹, Brugensis.

Wilhelmus Pantinus, celeberrimus medicus, vocat praeceptores suos Hieremiam Brachelium et Carolum Gosuinum, medicinae professores (absit invidia dicto) longe principes. *In praefatione Commentarii de arte medica.*

Carolus, fere quinquagenarius, in prandio S. Lucae, quod collegio Medicorum annuum est, matrimonium inicit cum Fortuna², filia doctoris Joannis de Soemeren. Sequenti die, poenitudine ductus, conatur hoc capistrum abjicere et ordinariam suam professionem cum connexa praebenda retinere; sed avunculi sui Petri Curtii, pastoris Lovaniensis³, et aliorum consiliis, suaeque conscientiae acquiescens, necessitati, quam sibi imposuerat, cessit.

Obiit, die 24 augusti, anno 1574.

Gemma Frisius.

Parens, ut ab illius ore audivi plus decies, claudus utroque crure, imo paralyticus, a cunabulis usque ad sextum aetatis annum, quum, subnixus duplici scipione ac materterae ductu, festo solempni D. Bonifacii in templum illius pervenisset, statim oblato munusculo, ante omnium ora se erexit in pedes, atque dehinc restitutus perpetuo in integrum fuit. *Cornelius Gemma, Cosmocriticae artis libro II, fol. 210.*

Gemma Academiae decus immortale Brabantae,
Gemma alti decus ingenii, quo clarior alter,
Sive mathematices inventa insignia spectes,
Sive salutiferam divini Hippocratis artem,
Non fuit e dato grege sic qui excelleret unus.

Valerius in ejus Astrolabium catholicum⁴.

¹ Vulgo *Goossens*, Brugensis.

² Alias *Florentia* vel *Fortunata*.

³ Postea primi episcopi Brugensis, in cujus testamento Caroli Gosuini filius Petrus legatum 400

florenorum accepit.

⁴ Alia manu in Molani codice additur: *Saxum habet ante chorum Praedicatorum cum carmine.*

Jacobus Varentius, Aldenardensis.

Obiit anno 1577, die 25 aprilis.

Wilhelmus Bernartius, Tiletanus.

Philosophiam in Castro professus est, deinde claruit medicinae professor. Unde in ejus epitaphio legitur :

Qui lector sophiam, claras et Apollinis artes
Ingenti studio per tria lustra legi.

Fuit in praxi sincerus et rectus, valde abhorrens a superfluis aut non necessariis curationibus.

Obiit anno 1572, die 15 maii, cujus viduam accepit Petrus Richarius.

Nicolaus Biesius ¹.

Nicolaus Biesius, Gandavensis, doctor Senensis et regius professor Lovaniensis, anno 1562, die ultima julii, Facultati et collegio Medicorum incorporatur, ab ipso collegio rogatus.

Erat enim in eo singularis eruditio, facundia, eloquentia, modestia, maturitas, studiorum et catholicae religionis amor.

Posteris sui memoriam reliquit, edens theoreticae medicinae libros sex; de republica libros quatuor; methodum medicinae; in Artem medicam Galeni; de Universitate sive de physica atque universa Naturae philosophia libros tres.

Obiit medicus Maximiliani imperatoris, anno 1573 ².

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 900.

² En ineditam Biesii ad Cratonem epistolam, sed sine anni nota.

« Clarissimo ac doctissimo viro domino Joanni Cratoni, Caesareae Majestatis medico, domino suo observando. Vratislaviae.

» *Nicolaus Biesius* S. P. D. Quum in itinere

Pragensi, longe difficillimo molestissimoque, tuas postremas accepissem literas, in eo toto (*itinere*) nulla, veluti referebat magister postarum, occasio respondendi fuit, neque etiam hisce quinque diebus, quibus Pragae fui, quibus et summan hospitiorum molestiam percepi. Nam in primis in vacuo fracto, spectris nocturnis, ut aiunt, obnoxio,

Adrianus Van Rhode.

Creatur cum Martino Descailles, Audomarensi, doctor anno 1562.
Evocatur ad Duacensem Academiam, in qua claret primarius medicinae professor.

Cornelius Gemma.

Edidit libros de arte cydognomica et de divinis naturae characterismis.
Absumptus a contagione, una cum uxore, filio filiaque, anno 1578¹.

Petrus Bruegelius.

Patria Buscoducensis, promotione doctor Patavinus, professione regius doctor Lovaniensis, ob facundiam et eruditionem magnam habuit apud studiosos medicinae nomen. Sed, quum non minus in praxi clareret, saepe abesse cogebatur, eo quod a principibus viris frequenter medicus evocabatur.

Obiit praematura morte anno 1577, die 22 maii, sepultus ad altare S. Lucae.

Qui perpetuam sui memoriam reliquit, fundans ex honorariis laborum et studiorum suorum Collegium Medicorum.

Joannes Walterius Wiringus², Lovaniensis.

Patrem habuit magistrum Joannem Wouters, in platea Wiring dicta (quae ei et filio notius cognomen dedit) famosum chirurgum.

designatus sum; postea in alio tam ab aula remoto, ut nullo modo potuerim praesertim matutino tempore servire. Nunc tertium, postquam supplicem libellum Caesari obtulissem, designatum est, admodum vastum et incultum, sed aulae magis vicinum. Petii vero bis a domino praefecto, quanto tempore possis abesse, dixique, si statim veniendum esset, te non habiturum tempus, ut negotia tua conficere valeas; responditque tibi duos menses esse concessos. Ii si non sufficiunt, poteriste

excusare; et si quid possum, me facias, quid fieri velis, certiore. Vale. Pragae 18 decembris. »

¹ Haec apud Molanum ab aliena manu adscripta sunt. De eodem Cornelio Gemma rursus mentio fit infra p. 578. Cfr. *Bibl. Belg.* t. I, p. 200, ubi notatur Gemmam devixisse IV idus octobris 1579, grassante Lovanii epidemica lue.

² Seu *Joannes Walleri Wiringus*. Vide Paquot, op. cit. t. XIII, p. 440.

Unde a pueritia in praxi chirurgiae, ab adolescentia in re medica versatus, a Wilhelmo Tiletano, primario professore, ex Veriensi civitate (*in Zelandia*) revocatur, senatui Lovaniensi ut ei succedat per eundem commendatus, anno 1571.

Hic anno 1578 ex mortalitate uxorem suam et collegium doctorum medicinae, ipse unicus superstes, sepelit, et Dei erga se beneficium agnoscens, sacerdotio se tempore primi sui rectoratus initiat. Edidit ossium tabulam, in qua corporis humani Walterius ossa ducenta et vicena quater dinumerare docet. Meditatur et alia quaedam.

Joannes Blondeel, Insulensis ¹.

CAPUT XXV.

MEMORABILIA QUAEDAM DE FACULTATE MEDICA ².

Anatome.

Praetor adeo medicinae candidatorum studiis favit, ut quodvis corpus a se impetrari gauderet, ac ipse non vulgariter anatomes cognitione afficeretur, mihiq; illic anatomem administranti sedulo adstaret. *Vesalius, lib. I de humani corporis fabrica, cap. 59, agens de praetore Lovaniensi.*

Mea memoria anatomia corpora studiosis frequenter exhibuerunt expertissimi doctores medici Nicolaus Biesius, Cornelius Gemma, Petrus Bruegelius et Joannes Wiringus.

Qui etiam, anatomia absoluta, studiosos et reliquos spectatores ad sepulturam et ad solemne exsequiarum sacrum ex more et pietate vocarunt.

¹ Medicinae doctor renunciatus die 21 octobris 1578, postea nomen dedit Societati Jesu, obiitque Mussiponti in Lotharingia.

² Inscriptionem capitis XXV addere placuit, etenim in codice integrum folium 340 absectum est.

Almanach.

Unius anni libellos, qui arabica voce *Almanack* dicuntur, doctores medici nostrae Universitatis scribere dedignantur.

Non enim absque causa huiusmodi kalendaria passim appellantur libelli mendaciorum.

Cornelius Gemma, nondum doctor, quaedam conscripsit; sed admonitus et more caeterorum mentiens deinceps abstinuit.

Universitas anno 1478 prohibuit impressoribus, ne *Almanack* imprimant cum hac adjectione : impressum Lovanii. *Acta.*

Disputatio de morbo sudorifico.

Anno 1550 spectabilis et egregius vir dominus Wenceslaus Bayer, Cubitensis, artium et medicinae doctor, ordinarius Universitatis Lipsiensis Facultatis medicae lector, quatuordecim conclusiones de morbo anglico, dicto sudorali, nec non alias quasdam impertinentes conclusiones in hac nostra Universitate Lovaniensi in scholis canonicis, praesentibus ibidem dominis de Facultate medicinae ac quamplurimis auditoribus, 14 martii publice et honeste disputavit. *Liber Actorum.*

Primi doctores extra murales.

Anno 1566, julii 4, facti sunt doctores extra murales magister Petrus Bilwyck¹, Haeghstrechtanus, et Judocus Masius, Gerdorpius, sub conditionibus, legibus et juramentis, ipsorum manibus signatis. *Acta.*

Licentia in chirurgia.

Anno 1575, die 15 novembris, Matthias Nervatius, Sarragosaeus, creatus est licenciatus in chirurgia potius quam in aliis medicinae partibus. *Acta.*

¹ Seu *Petrus Blyswyck* vel *Bielwyck*, ex Haestricht dictus, et proinde a Valerio Andrea *Petrus Haestricht*, et proinde a Valerio Andrea *Petrus Haest-*

Studium presbyterorum.

Martinus V dedit Universitati Lovaniensi privilegium, ut inibi sacerdotes et alii ecclesiastici possint in physica seu medicina (quod canonica interdicit instituta) legere, studere, disputare et alios actus scholasticos exercere ac magisterii insignia recipere, Honorii III, generalis concilii et quibusvis constitutionibus apostolicis non obstantibus. Anno 1426, nona septembris.

Visitatio aegrorum post confessionem.

Anno 1469 in januario statuit Universitas, quod medici, vocati ad infirmos, debent admonere amicos infirmi, ut confiteatur. Et si pro secunda vice vocatus fuerit ad infirmum non confessum, non poterit illum amplius nisi post confessionem visitare, sub poenis per Universitatem ordinatis.

De pharmacopolis.¹

Pharmacopolarum officinas, ex iudicio collegii Medicorum, magistratus reformavit anno 1518, 5 aprilis, ante Pascha.

CAPUT XXVI.

SCRIPTORES ALIQUOT MEDICI STUDII LOVANIENSIS.

Inter professores Facultatis nominati sunt Hieremias Triverius, Nicolaus Biesius, Cornelius Gemma; sed multo plures, nec minus excellentes, extra collegium claruerunt. Inter quos sunt infra scripti.

Andreas Vesalius¹.

Andreas Vesalius, Bruxellensis, scholae medicorum Patavinae publicus professor, postea Caroli V et Philippi regis medicus. Cui inter anatomicos

¹ Vesalii vitam et scripta commentario illustravit Gandavensis Academiae professor Burggrave.

principem locum tribuunt. Scripsit de humani corporis fabrica libros VII aliaque notissima medicis opera.

Wilhelmus Pantinus, celeberrimus medicus, vocat eum Caesaris Caroli ejusque curiae medicum, ac jure optimo toti orbi laudatissimum. *In praefatione de Arte medica.*

A Venetis anno 1564 Patavium amplissimo stipendio evocatus, adversis ventis in insulam Zantum delatus, ibidem in loco solitario vitam miserime obiit, ac ab aurifabro, qui forte fortuna eo pervenit, ne esca bestiis fieret, sepelitur. *Epitome rerum gestarum sub Ferdinando.*

Rembertus Dodonaeus ¹.

Rembertus Dodonis, de Mechlinia, fit licentiatus anno 1535, 10 septembris. *Acta.*

Mortuo Nicolao Biesio, fit medicus Imperatoris.

Multa praeclare et utiliter scripsit, inter quae sunt florum et coronariorum odoratarumque nonnullarum herbarum historia; historia frumentorum, leguminum, palustrium et aquatilium herbarum; historia vitis, vini-que et stirpium nonnullarum aliarum; et alia.

Quae nunc Coloniae in uno volumine simul recuduntur.

Edidit quoque germanice Herbarium.

Jason Pratensis.

Jason a Pratis, Zirixaeus medicus, conscripsit docta et a medicis laudata opera de sterilitate arcenda et progignendis liberis; de cerebri morbis curandis; de tuenda sanitate libros quatuor; de uteris libros duos; de pariente et partu.

Quae Antverpiae et Basileae sunt impressa.

Claruit primum patriae, deinde domini Beveriensis medicus.

¹ De vocando Dodonaeo ad publicam professionem in facultate medica agitur in *Analectis Kalendarii academici an. 1844 p. 151*. Vitam ipsius edi-

dit academiae nostrae doctor J. Van Meerbeek, Mechliniensis.

Hubertus Barlandus.

Hubertus Barlandus, Zelandus, medicus comitatus Namurcensis, frater Adriani Barlandi rhetoris Lovaniensis, Avicennae et arabicae scholae impugator, latinum fecit Galeni librum de medicamentis paratu facilibus. Edidit Velitationem cum Arnolde Noots, medicinae apud Lovanienses doctore, qua docetur non paucos abuti capillo Veneris, xylaloë, xylobal-samo, spodio hisque similibus, deque Avicennae in plerisque hallucinatione. Antverpiae anno 1553, in-8°.

Cornelius Baesdorp.

Cornelius a Baesdorp, Gozensis, medicus primum magistratus Brugen-sis, postea vero Caroli V imperatoris. Scripsit methodum artis medicae, in partibus quinque, Brugis anno 1538.

Wilhelmus Pantinus vocat D. Cornelium Baesdorpium Caesareae Majes-tatis proto-medicum. *In praefatione ad Celsum, de Arte medica.*

Cornelius Leidensis.

Cornelius Petri, civis et physicus Leidensis, scripsit annotatiunculas in quatuor libros Dioscoridis. Item experimenta contra varios morbos, tum sua, tum Joannis Spiringi, Antverpiae anno 1533.

Gilbertus Limburgensis.

Gilbertus Philaretus, medicus, scripsit de Fontibus Ardennae, potissi-mum in Spa, Antverpiae anno 1559.

Remaclus Fuchs, Limburgus.

Scripsit Methodum curandi morbi Hispanici sive Gallici per lignum guajaci decoctum, Parisiis, apud Wechelium; historiam omnium aquarum quae in communi sunt usu; item tractatum conditorum et specierum aro-

maticarum, quarum usus frequentior est apud pharmacopolas, Venetiis anno 1542; nomenclaturam plantarum, quarum apud pharmacopolas usus est magis frequens, Parisiis anno 1541, Venetiis anno 1542; simplicium medicamentorum tabulam; dialogum de herbarum notitia, Antverpiae anno 1544.

Laevinus Lemnius ¹.

In natali solo Zirixee, presbyter et medicus, publicavit typis Plantini et aliorum tres libellos de astrologia, de cujusque vitae termino, de honesto exercitio; item de occultis naturae miraculis, de vita animi et corporis instituenda, de complexionibus, de habitu corporis (quam Graeci *crasin*, triviales *complexionem* vocant), explicationem similitudinum ac parabolarum quae in Bibliis ex herbis et arboribus desumuntur.

Judocus Lommius, Buranus ².

Creatur licentiatus anno 1553, die 7 julii.

Scriptit medicinalium institutionum libros; de curandis febribus continuis; de sanitate tuenda, in primum librum Celsi de re medica.

Obiit in Hispaniis medicus Philippi Regis Catholici.

Petrus Coudebergius ³.

Petrus Haschardus ⁴.

Medicus et chirurgus, natus Armenteriae in agro Insulensi, scripsit de Morbo Gallico; in Eobanum, de bona valetudine tuenda; clypeum astrologicum; de cometa anni 1556.

Joannes Silvius ⁵.

¹ Vide *Bibl. Belg.* t. II, p. 792.

² Op. cit. t. II p. 769.

³ Idem esse videtur ac ille, qui recensuit et ab erroribus vindicavit *Valerii Cordi Dispensatorium*, adjecto novo ejusdem libello, Antverpiae

apud Plantinum 1568.

⁴ Seu *Hassardus*, de quo in *Bibl. Belg.* t. II, p. 982.

⁵ Vide op. cit. t. I p. 728.

*Wilhelmus Pantinus*¹.

Wilhelmus Pantinus, Tiletanus, medicus Brugensis, scripsit amplissimos et eruditissimos commentarios in duos libros priores Cornelii Celsi de Arte medicā et in reliquos annotationes breviores, Basileae, in-folio, anno 1552.

Superioribus annis, ait Pantinus, eorum qui pro suo ac praeceptorum in discipulum tum jure imperare ac cogere poterant arbitrato inductus, altero D. Hieremia Brachelio subinde foras medicinae faciendae causa evocato, altero D. Carolo Gosuino, florentissimae Lovaniensis Academiae summa administratione tunc occupato, utrisque medicinae professoribus longe principibus, aliquid et ipse tum experiri, ingenii doctrinaeque tenuitatem nequicquam illis excusans jubebar ac praecipiebar. Quare latinae scholae latinum medicum, latinum Hippocratem, Cornelium Celsum, medicum vetustissimum eundemque multo facundissimum proponendum existimavi.

Henricus a Fine, Liranus.

Artium et medicinae doctor, archiater Antverpiensis, disputavit Lovanii anno 1516, sub Ruardo sacrae theologiae licentiate, quodlibetario, quaestiones, medicam de reductione medicinarum ad actum, astronomicam de correctione calendarii, metaphysicam de intelligentiis, excusas Antverpiae a Vorsterman.

CAPUT XXVII.

APPENDIX ALIQUOT SCRIPTORUM MATHEMATICORUM.

*Paulus de Middelburgo, episcopus*².

Paulus Middelburgensis, natione Zelandus, studio Lovaniensis, dignitate episcopus Foro Sempronensis, edidit ad Leonem X, de Paschae obser-

¹ Vide op. cit. t. I p. 418.

² Vide Paquot, op. cit. t. V, p. 4.

vatione libros XIV; ad Maximilianum, de die Passionis Domini lib. XIX, impressos in Foro Sempronii anno 1513. Edidit quoque epistolam de Paschate observando et de die Passionis Domini, ad almam Universitatem Lovaniensem, in qua se ab ineunte aetate educatum esse scribit; item Prognosticationem ad Maximilianum Austriacum, impressam Lovanii apud Joannem Westphalum; item Defensionem contra Joannem Barbum, protonotarium, Urbini impressam anno 1484.

« In sacri Lateranensis concilii rebus, tua nobis virtute atque doctrina magnopere opus est. » *Leo X, libro VII, epistola 18, per Bembum.*

Albertus Pighius, praepositus¹.

Albertus Pighius, quum in studio scholae theologiae Lovanii versaretur, scripsit ad Leonem X de ratione paschatis celebrationis et calendarii correctione, anno 1520; quando Leo desuper literas dederat ad professores Lovanienses. Scripsit quoque apologiam contra Marci Beneventani Astronomiam, et alia in Bibliotheca theologica commemorata.

Petrus de Rivo.

Petrus de Rivo, sacrae theologiae professor et ecclesiae D. Petri pastor, ante doctoratum suum quaestiones habuit cum Paulo de Middelburgo de anno, die et feria Passionis Domini. Et desuper conscripsit tractatus tres, qui in-folio excusi sunt Lovanii anno 1492.

Henricus Vekenstyl, Lovaniensis.

Henricus Vekenstyl, alias Baers, edidit libellum novum de compositione ac directione planetarum, impressum Lovanii anno 1530, in-4^o.

¹ Vide Paquot, op. cit. t. II p. 175.

*Cornelius Scepperus*¹.

Cornelius Scepperus, Flander, ordinis equestris, multis Caesaris Caroli V legationibus functus, scripsit fidei Assertionum libros sex contra astrologos ad Erardum a Marca, cardinalem Leodiensem, Antverpiae anno 1523, in-folio. Ejusdem, regis Christierni contra Lubecenses defensio, ibidem anno 1524.

*Gemma Frisius*².

Gemma, non minus in mathesi quam in medicina clarus, scripsit Methodum arithmeticae practicae, cui Joannes Peletarius, Cenomanus, annotationes adjecit; de locorum describendorum ratione, deque distantiiis eorum inveniendis, appendicem ad Appiani Cosmographiam; de usu annuli astronomici; de usu radii astronomici; chartam sive mappam orbis; de astro-labio catholico.

Gerardus Mercator.

Gerardus Mercator, Rupelmondanus, scripsit Chronologiam ab orbe condito; Tabulas Terrae Sanctae, Flandriae, Orbis universi, Britannicarum Insularum, Europae et alia geographica; Rationem scribendi italice.

Hunc Abraham Ortelius vocat geographorum nostri temporis coryphaeum. Obiit anno 1577, ducis Clivorum geographus.

Petrus Beausardus.

Medicinae et matheseos professor, edidit Lovanii arithmeticae praxin, et de annulo astronomico.

¹ Vide *Missions diplomatiques de Corneille Duplicius de Schepper*, par MM. le baron de Saint-Genois et G. A. Yssel de Schepper; *Nouveaux Mé-*

moires de l'Académie royale de Belgique, t. XXX.

² Cfr. supra p. 569 et infra p. 577.

Joannes Stadius, Loenhoutanus.

Matheseos Lovanii publicus professor, scripsit ephemerides ab anno 1554 usque ad annum 1600; tabulas aequabilis et apparentis motus coelestium corporum; commentarium in L. Florum.

Cornelius Gemma.

Patris sui Astrolabium perfecit et edidit. Scripsit praeterea de Arte cydognomica tomos tres; de naturae divinae characterismis libros duos ¹.

Arnoldus de Lens.

Arnoldus de Lens, Belliolanus, medicus ducis Moscoviae, conscripsit geometrica elementa a Plantino excusa. Quae Beusardus publica praedicatione sua digna esse judicavit. Periit per Tartaros cum tota Moscovia, anno 1571.

Ejus frater Joannes Lensaeus, sacrae theologiae professor regius, scripsit Orationem contra Genethliacos.

*Adrianus Zeelest.**Nicolaus de Bossuit.*

Medicinae doctor, edidit anno 1528 orationem quodlibeticam de inhabitatione torridae zonae. Lovanii, apud Gilbertum Maes.

¹ Vide supra p. 569 et 578.

CAPUT XXVIII.

DE FACULTATE ARTIUM ¹.

Veneranda Facultas artium omnes literales sive humaniores disciplinas profitetur; quamvis grammaticam et grammaticalia ex aliis scholis peti malit. Praecipue autem profitetur dialecticam sive logicam et physicam.

Paedagogia quatuor.

Fiunt harum praelectiones in quatuor paedagogiis, Lillii, Falconis, Castri et Porci. Quorum paedagogiorum regentes, praeter praeceptores inferiorum classium, habent duos principales et duos secundarios professores in logica et physica.

Schola Artium.

In Schola Artium fiunt solemnes disputationes, et actus ac promotiones Facultatis. Ibidem habentur quodlibeticae quaestiones. Docentur a duobus secundae foundationis canonicis ethica et rhetorica.

Consilium Facultatis.

Consilium Facultatis, propter privilegium nominationis, latum est et numerosum.

Consilium deputatorum.

Deputati hujus consilii ordinarii sunt decanus, receptor, quatuor procuratores nationum, et quatuor regentes Paedagogiorum.

¹ Facultatis Artium statuta typis edita sunt raro tamen obvia. Lovanii an. 1639 apud Jacobum Zegers, in-4°;

Decani honor.

Decanus Facultatis Artium, ex concordia cum tribus Facultatibus, ante adventum Facultatis sacrae theologiae facta anno 1430 per dominos de concilio ducis Brabantiae, habet locum ultra omnes licentiatos, etiam si veniat sine epitogio. *Acta facultatis Artium anno 1444.*

Nominandi privilegium.

Magna quaestio fuit, in initio Universitatis, per Facultatem Artium contra Facultates juris tractata, num licentiatii possint praecedere Artium magistros, coram Joanne Bont cancellario Brabantiae. Et quia in favorabilibus licentiatii habentur pro doctoribus, aucta fuit, quando Franco de Herck, baccalaureus in jure canonico, admissus est ad consilium Universitatis. Archiva Artium habent hunc processum.

Anno 1517, promotor Facultatis vocatur deinceps syndicus.

CAPUT XXIX.

ANTIQUITATES QUAEDAM FACULTATIS ARTIUM.

De doctrina Aristotelis.

« Non determinabitis quaestionem pure theologiam. Item si contingat vos determinare quaestionem, quae tangit philosophiam et fidem, determinabitis eam pro fide, et rationes contra fidem dissolvatis. » *Sententia I.*

« Item, sustinebitis doctrinam Aristotelis, nisi in casibus qui sunt contra fidem. » *Ibidem.*

Anno 1486, Marsilius de Craenendonck reconciliatus est Facultati, qui in actu formali asseruerat Aristotelem nominalem fuisse, agnoscens se ex levitate fecisse. *Acta.*

Nemini liceat sententiam Aristotelis, tanquam haereticam, rejicere,

quam catholici defensorunt, nisi illa fuerit prius per Facultatem theologiae ostensa haeretica. *Acta 1470.*

Mittit Facultas Romam, ad declarandum quod magister Henricus Zoemerren sit pervicax, dicens Aristotelem sibi contradicere in materia de futuris contingentibus. *Acta 1470.*

Doctrina Ockam et sequacium.

Concluditur 1427, die 2 junii, quod nullus magister debeat recipi aut admitti ad regentiam, nisi juret se nunquam doctrinare Buridanum, Marsilium, Ockam, aut eorum sequaces.

Anno 1480, objecit promotor Facultatis quosdam Aristotelem exponere ad intentionem Ockam et ejus sequacium; placuit Facultati tales legentes ab omnibus honoribus per triennium privari.

De doctrina nominalium.

Antonius Poortvliet, regens objecit, anno 1497, Nicolaum de Egmond, Herconem de Scagis, et Joannem de Angia, contra statuta doctrinae vias et doctrinas nominalium. Responderunt se hoc nescire, et si quid Facultati in doctrina displiceat se hoc emendaturos.

De doctrina Scoti.

Joannes Block, Decanus Geldoniensis, proposuit anno 1446, 5 novembris, non per modum accusationis (prout protestatus est) sed denunciationis, quosdam praesidentes in responsionibus formalibus posuisse propositiones male sonantes, et philosophorum opinioni contrarias; unde Facultati imo Universitati periculum et scandalum imminere dixit. Henricus Zoemerren, Nicolaus de Trajecto, Ægidius Bailloeul et Leonardus de Bruxella denunciationem ad se attrahentes, petierunt terminum respondendi. Et Zoemerren, a prandio congregata Facultate sub poena unius floreni, respondebat propositiones fundatas esse in dictis doctoris subtilis Scoti, quem reprobare Facultati non licebat, offerens sub infamiae poena eas defendere.

Quam oblationem postea, die 19 novembris, ipse et collegae explicarunt velle se eas defendere sub infamiae poena contra quoscumque ex calumniatoribus, seu denunciatoribus, qui se inscribere vellent.

Et hi postea fuerunt supportati, audito iudicio Facultatis sacrae theologiae. *Acta Facultatis.*

Doctrina de contingentibus et possibilibus.

Anno 1447, mensis aprilis die 26, Facultas Artium per iuramentum convocata probavit ea, quae per Universitatem prius decreta fuerant super quibusdam magistris Facultatis in artibus formalibus baccalaureorum sub hac verborum forma: « Cupiens, juxta consilium Apostoli, venerabilis Artium Facultas seipsam probabilem exhibere, Deo inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis, ne sui alumni doctrinis variis abducantur: quae de caetero firmiter observari praecipit et decernit.

» In primis quidem, ut disputatio de potentia divina et caeteris theologialibus venerabili Facultati theologiae relinquatur. Adjecit decanus S. Petri anno 1512: in quantum fundamenta probationis, vel improbationis, fidem seu scripturam sacram requirunt: secus, si de hujusmodi, per rationes naturales, seu in lumine naturali et auctoritatibus philosophorum disputare vel disserere velint; puta aliquid si impossibile, quia implicat contradictionem: vel per se et in se malum, quia necessario contra rectae rationis dictamen: et ita de aliis, submitiendo semper omnia directioni fidei et sacrarum literarum interpretationi.

» Secundo, ex quo sermones expetendi sunt, ut philosophus dicit, secundum materiam subjectam, judicetur in scholis philosophiae possibile, impossibile, necessarium, vel contingens secundum causas propinquas, nisi quatenus captivandus sit intellectus in obsequium fidei. Adjecit decanus: quod intelligi debet ubi et quando materia hoc exigit; utpote quum disputatio fertur ad ea dicta philosophorum, quae vires causarum tantum concernunt naturalium. Secus, quum disputatio super eo est, an simpliciter includit contradictionem aliquid esse vel non esse; ut an possit infinitum esse in magnitudine vel multitudine. Ibi enim, licet non agatur de captivando intellectu in obsequium fidei, licitum erit possibile, vel impossibile

judicare aliter, quam secundum causas propinquas, forte non sufficeret ad mentem Aristotelis, quod infinitum esse non possit virtute alicujus agentium naturalium.

» Tertio, abstinence ne dum a doctrina falsa, sed etiam ab offensiva et suspecta sive in fide, sive in moribus, sive in philosophia. Non autem intelligatur illa doctrina offensiva vel suspecta, quae per necessarias rationes et inconvincibiles probatur vera esse, licet praedicta communiter falsa reputata fuerit, quum contingat propositionem a suspitione expurgari, sicut et homines.

» Quinto, ut propositiones, quae dicunt quod contingit dare corpus informatum per animam rationalem, homine non existente. Quod, absolute loquendo, impossibile est unam animam intellectivam numero omnia corpora humana informare, stante multitudine hominum, ut nunc.

» Quod potest unus homo totus esse in Anglia, omnibus suis partibus existentibus in Roma et non in Anglia: poteritque totus moveri ab Anglia ad Romam, partibus e converso venientibus a Roma ad Angliam simul pro eodem tempore. Quod relativum possit esse sine correlativo. Decanus interjecit. Dummodo relativum et correlativum importent relationes ad existentia: nec possunt denominare, nisi res simul existentes, ut pater et filius, dominus et servus, etc.

» Quod determinate altera pars contradictionis in futuris contingentibus est vera et altera falsa sicut in praesentibus et praeteritis. Unde etiam oppositum hujus conclusionis non stat cum fide. Decanus interjecit: intelligatur interdictum docere, quod in eis consimiliter veritas reperitur, ut in praeteritis et praesentibus; puta de necessaria seu inevitabili veritate: seu de veritate extra potestatem causae; sic quod fieri non possit, quum vera sit vel fuerit, et dicere quod contrarium illius non stat cum fide, temerarium est et absurdum.

» Quod est possibile simpliciter duo contraria, secundum esse eorum intensissimum, esse in eodem subjecto simul. Quod idem accidens numero, potest simul esse in diversis subjectis non continuis et alicubi, ubi nullum suorum subjectorum est, nulla separatione facta ab ipsis. Quod in quolibet continuo datur punctum immediatum puncto. Quod possibile est intelligere lineam, quae est unius pedis tantum, nec habere initium, nec finem. Quod contingit dare veram speciem, realiter existentem sine genere.

Quod verum ens, positum extra animam, est nihil. Et similes vel minus opinabiles, pridem per nonnullos disputatae, vel in posterum disputari possibiles, non debeant doctrinari.

» Similes autem vel minus opinabiles intelligantur omnes, quae sunt offensivae, vel contra principia per se nota, vel contra textum Aristotelis sane intellectum, in locis in quibus non contradicit fidei. Et ne cuilibet pateat auctoritas pro ejus voluntate ad suam positionem textum trahere repugnantem, statuit eadem Facultas, ut textui Aristotelis fides adhiberi debeat non secundum expositiones Wiclef, Ockam, suorumve sequacium, vel aliorum suspectorum. Adjecit D. decanus : in quibus singulariter sentiant, et non communiter cum alio doctore probato, et hoc, nisi forte rationem pro se induxerint, necessario convincentem seu demonstrantem : ex quo manifeste constet, quod alii doctores eis communicare et condescendere debeant. Nec impossibile deputetur, quod illi aliquid invenire potuerunt, quod probatissimos doctores alios latuit. Saepe enim contingit, ut qui hebetiorem habent aciem, nonnulla prius intueantur, quam qui cernunt acutius, ut habet Plato primo de Republica.

» Sed potissimum exponi debet textus Aristotelis, secundum quod eum exponunt et intelligunt suus commentator Averroes, ubi contra fidem non militat, vel dominus Albertus Magnus, vel sanctus Thomas de Aquino, vel Ægidius de Roma, vel aliquis alius, quem placebit Facultati concorditer acceptare. Decanus S. Petri adjecit : et ne dissensio sit inter supposita Facultatis, qui doctorum debeant quoad expositionem textus Aristotelis haberi pro approbatis, censeantur, praeter supra nominatos, omnes alii doctores antiqui et famati pro acceptatis a Facultate, videlicet Alexander de Hallis, Bonaventura, Altisiodorensis, Scotus, Durandus, Henricus de Gandavo, Petrus de Palude et hujusmodi.

» Si quae tamen propositiones ex praenominatis aut similibus inveniri possunt sanae doctrinae Aristotelis, vel aliorum approbatorum doctorum non obviantes, illas probabiliter tantum sustineri in disputatione obviativa, vel causa exercitii magistrorum inter se, dummodo non doctrinentur inter scholares, non intelligatur interdictum.

» Propositiones vero, quae dicunt : Quod absolute possibile est, ut una anima intellectiva numero omnia corpora humana possit informare stante multitudine hominum ut nunc. Quod totum possit esse in Anglia, omni-

bus suis partibus existentibus in Roma et non in Anglia. Quod in futuris contingentibus determinate altera pars contradictionis sit vera et altera falsa sicut in praeteritis et praesentibus, ita etiam ut oppositum hujus conclusionis non stet cum fide. Interjecit decanus secundum tamen expositionem et limitationem supra dictam. Et similes propositiones, hoc est aeque offensivae vel magis periculosae, sileantur omnino. »

Interjectam a domino decano D. Petri interpretationem anno 1512, approbavit artium Facultas eodem anno, die 28 maii.

Est autem interpretatio Adriani, postea summi pontificis.

Porro statutum Universitatis anno 1447 die 8 februarii conclusum, exstat lib. 2 actorum fol. 20.

Quando etiam Facultas theologica damnavit articulum sequentem: « quod divina voluntas sit prima radix contingentiae peccatorum. » *Acta Universitatis*.

*Exordium primorum statutorum*¹.

« Procurator Facultatis artium, caeterique magistri, regentes et non regentes, universis suppositis salutem et philosophici nectaris dulcedinem suaviter degustare. Quoniam omnes populi legibus reguntur et edictis, ea propter venerabilis Facultas artium, in qua septenarius numerus artium liberalium micat, septenis sideribus correspondens, decrevit opportunum, non solum sua supposita scholasticis imbui disciplinis, verum etiam legibus et ordinationibus humanis gubernari. »

De decano.

Anno 1427, die 24 maii, eligitur procurator magister Joannes Rodolphi, receptor vero magister Henricus Wellens.

Anno 1429 eligitur Hermannus Brant ultimus procurator et primus decanus.

Anno 1435 Franciscus Boert, factis nationibus, eligitur primus decanus in natione Brabantiae.

¹ Cfr supra p. 580 not. 1, ubi indicantur statuta posteriori aetate recognita et edita.

Decanus, ex concordia per ducem Brabantiae facta, sedet immediate post doctores. *Liber Actorum II.*

De Paedagogiis.

Paedagogia sunt quatuor, in quibus publica fit professio.

Antea publice docebatur in schola artium, sed quilibet magister Facultatis, qui volebat, domi suae habebat paedagogium, in quo privatim suae domus discipulos docebat.

Hinc anno 1433, in decanatu Malingre, nominantur septem regentes de septem paedagogiis.

Et Henricus Wellens, primus Facultatis receptor, domum suam, in qua paedagogium rexerat, convertit per testamentum in monasterium. *Fundatio.*

Et anno 1446 certae domus declarantur per Facultatem, paedagogia. *Acta.*

De regentibus.

Regentes quatuor sunt, qui soli singulis annis regentiam et legendiam Facultati resignant, et in eis continuari petunt.

Antiquitus erant duplices regentes. Quidam regentes Facultatem et scholam artium, quales aliquando in uno paedagogio plures erant; alii regentes paedagogia et scholas privatas. De quibus primo anno conclusum est: « regentes scholas particulares non sunt regentes in vico, qui etiam vocantur paedagogistae: » *Libro I Actorum, ad annum, 1428, 12 novembris.*

Quodlibeta.

Anno secundo studii inceperunt, ad festum S. Lucae, solemniter disputationes de quolibet, citra tamen obligationem. *Acta.*

Permittuntur misceri jocosa seriis, sed nec turpia, nec diffamatoria aut bonos mores offendentia. *Ibidem.*

Anno 1429 proponitur de clenodio proponendo quodlibetario. *Acta.*

Anno 1434, electo in decanum Henrico de Loen, fuit contradictum, quia non sufficienter visitaverat actum quodlibetorum.

In hac schola Adrianus Florentii, decanus et cancellarius Lovaniensis, postea summus pontifex, ad XIII quaestiones sibi propositas respondit. Quorum primum de fraterna correptione non est impressum, quia eam materiam tractat, in quartum Sententiarum scribens. Reliqua autem XII quodlibeta in frequentibus editionibus obvia sunt.

Tradunt eum summum pontificem quodlibetario et oratori coenam indulsisse, si sit jejunii dies.

Antiquae praelectiones.

Inter libros determinandorum nominantur Summula Petri Hispani, Grammatica Alexandri, pars Graecismi. *In statutis primis.*

In metaphysicis legentur libri octo. In mathematicis tractatus de sphaera, primus liber Euclidis, tractatus de arithmetica et Joannis Muris musica.

Item, oportet audire in studio, vel in domibus, Petri Hispani suppositiones, ampliaciones, appellationes et restrictiones. *Ibidem.*

Magister Joannes Dindit petiit absolvi, quia deliquit legendum librum de memoria in duabus lectionibus. *Acta, ad annum 1446.*

Anno 1428, 3 februarii, placuit Facultati cum Joanne Calaber super defectu in parte graecismi dispensare. *Acta.*

Anno 1490, sub Adriano de Trajecto, determinarunt sex, qui jurarunt juranda, excepto uno, qui non audierat graecismum, qui admissus est ea conditione, ut partem ejus privatim audiret. *Acta.*

Antiquum Latinum.

Facultas artium diu permansit in stylo antiquae suae latinitatis. Tandem tamen praevaluit sermo purus.

Inde illud est, quom Buslidianum Trilingue collegium esset inchoatum, cujus primarius introitus tunc erat in Foro Piscium; « Nos non loquimur latinum de Foro Piscium, sed loquimur latinum matris nostrae Facultatis. »

Carolus Viruli, teutonice *Menneken*, primus regens Lillii, scripsit Formulas epistolicandi, praelectas scholaribus in paedagogio Lillii, et excusas

Lovanii, Coloniae, Daventriae, in Rutlingen. E quibus animadverti potest quaenam fuerit Universitatis Lovaniensis infantia quoad sermonem latinum.

Exstant etiam in antiqua tabella Beghinagii carmina magistri Anselmi, ad quorum intelligentiam recurrendum esset ad Gemmam Gemmarum, Catholicon, Brachi-loquium, Mammotrectum et similis farinae scriptores. Sunt enim versus isti ad S. Mariam:

O Mater G.	}	lustris,	{	dulcor, candorque lig	}	ustri.
Labe carens				nec non et sorde pal		
Nata prae				me jungas more col		
Ne regar amp				Satanac et per lurida cl		

Tentatores et jurisdictio cancellarii.

Solet cancellarius a Facultatis tentatoribus distinctos habere promovendorum tentatores. Sed anno 1436 jus locandi, admittendi et reliquam, quam de facto usurpaverat (ut putat Facultas), jurisdictionem transtulit in Facultatem, salvo quod a quolibet promovendo haberet unam bursam et propinam. *Acta anni 1436.*

Ætas promovendorum.

Anno 1435 placuit Facultati, ut magistrandi habeant 20 annos complete ex utero materno, licentiandi, annos 18. *Acta.*

Gerardus de Buscoducis tandem obtinet dispensationem in ætate magistrandi per instantiam domini cancellarii Brabantiae, ex parte ducis et concilii totius. Qui statim licentiatus supplicat admitti ad magisterium. *Acta ad annum 1432.*

Robertus Berincourt, anno 1437, propter juventutem reservatus fuit sub conditione, quod, si vellet jurare se habere 17 annos, primus esset alio anno, non tentatus, nec examinatus, et interea studere poterit in alia Facultate.

Anno 1439 Martinus Hallis fuit reservatus, quia in statura personae fuit nimis parvus, ea conditione ut anno sequenti locaretur primus inter gra-

tiosos, quia inventus est in scientia graciosus; vel ut rigorem examinis subeat, si meliorem ordinem habere vellet. *Acta.*

Nostro tempore malitia fere supplet aetatem.

Licentiati gratiosi.

Antonius Poortvliet in decanatus sui promotione annotavit: « Omnes isti sunt rigerosi, vel transibiles et boni clerici, post quos deberent sequi gratiosi, seu de gratia Facultatis promovendi; sed hoc anno nulli tales reperti sunt. » *Ad annum 1497.*

Anno 1499 primus in Falcone Joannes Nys, de Turnhout, inter discipulos 71, e quibus nullus receptus est graciosus.

Anno 1471 coepta est distinctio rigorosorum a transibilibus et gratiosis.

Circularis licentia.

Anno 1491, in decanatu Nicolai de Middelburgo, postmodum clarissimi praesidis Mechliniensis, promoti sunt et vocati dominus Joannes Berri, nobilis, Nicolaus Baccham, ab Egmonda, et alii septem. Post quos in circulo scripsit alios novemdecim. *Lib. V Actorum, fol. 92.*

Causa hujus circuli est, quia omnes isti novemdecim judicabantur gratiosi et transibiles, ut loquebatur. Parum enim studuerant, patria per captivitatem Maximiliani et per intestina bella multum perturbata. Solent autem gratiosi in fine absque ordine adscribi.

Primus extra ordinem.

In quibusdam promotionibus ad licentiam plures fuerunt primi. Quos quadruplices observavi. Primum quidam ob defectum aetatis reservati fuerunt anno sequenti primi extra ordinem; exemplum: « Anno 1438, Robertus Berincourt extra ordinem primus. »

Alii, ob nobilitatem aut dignitatem ecclesiasticam, primo loco pronuntiati, quales fuerunt domicellus Joannes de Halewyn, domicellus Joannes

de Rommerswale et Lotdyk, Joannes de Syranno, canonicus Leodiensis, dominus Theodoricus, decanus Anderlechtensis, dominus Joannes Berri, nobilis, nobilis et generosus dominus Carolus de Bussul, de Hallis.

Tertio Joannes Bont in gratiam fratris, cancellarii, collocatus fuit primus anno 1452, maii 21, relaxatis juramentis officiariorum.

Quarto, ob controversiam de primo, arbitri anno 1562 Liliensi paedagogio secundum primum annuerunt. Unde inter ejus anni licentiatos legitur Joannes Arnoldus de Herlem et Petrus Cabeliau de Ipris.

Primus a Fine.

A scholaribus vocatur episcopus in promotione.

Quidam referunt quemdam ultimum obequitantem, dum luto et aliis injuriis irritaretur, ante patris sui domum prae tristitia exprasse et ab eo tempore equitationem illam abrogatam esse.

Sed ex actis Facultatis clarum est postremos a majoribus honorifice tractatos esse, tanquam rigore admissos, aut si de gratia admittebantur, eorum ordo non adscribebatur. Quare figmentum illud rejicio.

Imo inidonei repellebantur. Hinc a quatuor officariis rejectum et ab aliis quatuor admissum cancellarius admisit, terminans paritatem. *Lib. III Actorum.*

De pauperibus.

Concluditur in specie pauperes promotos, si ad pinguiorem fortunam devenerint, compellendos esse ad solutionem bursarum. *Acta ad annum 1440.*

Ordinatur, ut id jurent. *Acta ad annum 1468.*

Promittent solvere juxta statum suum, ubi ad pinguiorem fortunam devenerint. *Liber VI Actorum.*

Migratio propter bursam.

Reinerus Luxemburgensis supplicat Facultati, ut sibi liceat ex Falcone

migrare ad Porcum propter bursam collegii Atrebatensis. Nam regens nolebat dimittere. Supplicationem ejus annuit Facultas, nisi regens velit ei tantum praestare quantum valet bursa. *Liber VI Actorum.*

De nobilibus.

Censentur nobiles filii baronum et majorum principum, et qui a principio logices alunt paedagogum, aut duos ministros ad plenas expensas, quos alunt non occasione promotionis sed in status sui decentiam.

Feudatarius Facultatis.

Magister Arnoldus Belix, feudatarius, seu vasallus bonorum Facultatis, praestat juramentum fidelitatis domino abbati Vlierbacensi. *Liber II Actorum.*

Baccalaureus cancellarij.

Anno 1457 concordatum est cum cancellario, eum posse quosdam anticipare ad quatuor aut sex loca, seu vota, praeterquam inter quatuor primos et quatuor ultimos, et cum nota *baccalaureus decani.*

Migratio paedagogiorum.

Anno 1458, singula paedagogia retraxerunt se extra Lovanium, propter pestem, et lectiones ibidem pro forma fiebant. Etiam bedellus migrabat, relicto ministro, qui decano adesset, quamdiu maneret Lovanii. *Liber III Actorum.*

Dispensat Facultas cum tribus paedagogiis, quae citra consensum facultatis, propter pestem migraverant extra Lovanium, et permittit ibidem fieri actus formales. Lilienses migraverant Teneramundam, Castrenses Liram, Falconenses in Berthem.

Nomen magistri.

« Nemo magistrorum de Facultate praesumat licentiatum artium aut baccalaureum in jure appellare magistrum, quum nomen magisterii immerito sibi usurpent. » *Liber Actorum.*

Libraria Artium.

Cum lumine nemo eam ingrediatur. *Acta anno 1466.*
Concluditur pro tertio, ne decanus proponat de concedendis libris extra bibliothecam. *Anno 1455, 3 februarii.*

Pro bibliotheca.

Exposuit Facultas tria aut quatuor millia. *Liber tertius Actorum, fol. 121, anno 1462.*

Promotio in templo.

Anno 1464 permittit cancellarius licentiam in scholis artium fieri, propter turbas, quae solent in templo excitari. *Acta.*

Promotiones primae habuerunt anno 1429, 15; 1430, 22; 1451, 32; 1452, 40; 1453, 46; 1454, 69.

CAPUT XXX.

COMMEMORATIO ALIQUOT CELEBRIUM VIRORUM EX FACULTATE ARTIUM.

*Wilhelmus Nepotis*¹.

Baccalaureus juris canonici et scholasticus divi Petri. Fuit a Martino V nominatus primus rector Universitatis per annos 5, creatus in domo civica die 6 septembris. Resignavit tamen anno sequenti, die penultima maii.

¹ Vide supra p. 469.

Henricus Wellens.

Fuit primus receptor et promotor (qui nunc syndicus vocatur) Facultatis. Qui anno 1433, postquam in domibus suis in Grimstrata situs paedagogium rexisset, easdem per testamentum convertit in domum clericorum bonae voluntatis. Hi autem, post annos 14, domum suam obtinuerunt commutari in monasterium canonicorum regularium vallis S. Martini ¹.

Joannes Hasselt.

Joannes Leyten, ab Hasselt, in jure civili licentiatus et decanus Hoxemensis, primus professor ethices, scripsit in X libros ethicorum Aristotelis commentarios, qui in bibliotheca Facultatis et ad Martinenses conservantur.

Fundavit pro anima sua et doctoris Ludovici Vettere quatuor missas hebdomadatim ². *Testamentum anni 1470.*

Joannes Block.

Sacrae theologiae licentiatus et decanus Geldoniensis concilii. Fuit ex primis magistris Facultatis, qui paedagogia domi habebant. Fuit quoque cum Joanne Leyten primus canonicus capituli novae foundationis in Facultate artium. Caeterum illo docente ethica, hunc deprehendo non rhetoricam sed metaphysicam docuisse secundum requestam oppidi. *Acta Facultatis anno 1445.*

Gosvinus Vander Ryt.

Rhetoricam suam cancellarius Brabantiae et Limburgiae complevit Bruxellae anno 1460, sub Philippo Burgundiae et Brabantiae duce. Exemplar est in bibliotheca artium.

¹ Vide supra p. 284, et *Chronicon Windesemense*, a Rosweydo editum Antv. 1621, p. 174.

² Cfr supra p. 561.

Antonius Haneron.

Praepositus S. Donatiani et illustrissimi Maximiliani consiliarius, fundavit anno 1488 collegium S. Donatiani, sub protectione decani et Facultatis artium.

Guido de Floyon.

Anno 1454, die 23 februarii, eligitur in decanum nobilis vir magister Guido de Floyon.

Henricus de Loe.

Sacrae theologiae baccalaureus sententiarius, postquam fuisset magnificus Universitatis rector ex regentia paedagogii sui e regione Porci Silvestris, secutus exemplum Henrici de Piro, professoris in jure Lovaniensis¹, migravit prope Angiam in Ordinem Carthusiae.

Tertio nonas februarii, anno 1481, obitus venerabilis patris magistri Henrici de Loe, prioris domus Gratiae juxta Bruxellam. *Vallis ducis.*

Godefridus de Gompele.

Patria Desschelensis, artium magister, fuit primus regens et fundator paedagogii Castrensis. *Ex testamento anni 1457.*

Joannes Widoe, de Herck.

Obiit anno 1473, sepultus in choro capellae clericorum. Hic domum suam paedagogialem, e regione Porci Silvestris sitam, donavit collegio magistri Godefridi de Boeslintere. Unde primus fundator hujus paedagogii agnoscitur.

¹ Vide supra p. 550.

Carolus Viruli.

Fuit primus regens et munificus fundator Liliensis paedagogii, quod per annos 56 strenue rexit. Obiit octuagenarius anno 1493, sepultus in medio choro Martinensium.

Georgius Bourgensis.

Anno 1444 fuit in Facultate artium rector. Fuit utriusque juris licentiatum, assessor conservatoris et ecclesiae S. Joannis Leodiensis quondam decanus. Hic domum suam dedit Carmelitis pro collegio scholastico.

Godefridus de Boeslinter.

Decanus concilii Geldoniensis, anno 1449 domum suam in vico Cattorum sitam dedit Facultati artium ad opus scholarium. Quae fundatio est in paedagogio Porci.

Georgius Duret, Hesdiniensis.

Illustrissimorum principum Philippi et Maximiliani consiliarius, obiit anno 1480, sepultus Lovanii in choro sacelli clericorum. Ex ejus foundationibus exorta contradictione, retinuit paedagogium Porci tantum bursam unam 18 florenorum.

Henricus Ghestel, de Meclinia.

Decanus ecclesiae S. Rumoldi, fundavit anno 1476 in Castro duas elemosynas sive bursas scholasticas.

Leo Outers, de Hòndiscota.

Fuit in regentia Lili fundatoris Viruli successor, bis Universitatis rector. Obiit cancellarius Leodiensis. Qui Lovanii claram sui memoriam reliquit; in Carthusia foundationem et dotationem cellae ¹, in Lilio foundationem trium bursarum Leodiensium et totidem Duynkerkensium.

Reinerus Rotarius, de Leodio.

Canonicus S. Dionysii Leodiensis et regens Castri, paedagogium suum haeredem scripsit. Unde a Facultate artium nominatur secundus ejus paedagogii fundator.

Joannes Moeselaer.

Obiit regens Castri anno 1499. Fundavit bursas aliquot ibidem pro Lovaniensibus, Bruxellensibus et Antverpiensibus, et in collegio theologorum unam pro Castrensi.

Gaspar Kinschot, de Turnhout ².

Obiit anno 1488 regens paedagogii Cacabi, quod nunc Falconis dicitur, et canonicus divi Petri. Hic sui memoriam fundando reliquit ad S. Petrum, in Carthusia, in Falcone, in collegio theologorum et in collegio S. Ivonis.

Bernardus Bucho.

Obiit decanus, et consiliarius Hagiensis. Fuerat primus in promotione artium. In priori suo decanatu, anno 1494, scribit: « Bernardus Frechsma, de Zuichem, Frisius »: in altero decanatu, anno 1496, scribit: « Bernardus Bucho, de Zuichem, alias de Leovardia. »

¹ Vide supra p. 298.

² Vide supra p. 140.

Antonius a Poortoliet.

Regens Castri et ethicus obiit anno 1514. Hic claram sui memoriam reliquit in Castro, fundans bursas bene studentium, item in collegio theologorum et in mensa domesticorum pauperum.

Joannes Heems, ab Armenteria.

Presbyter, artium et medicinae doctor, regens paedagogii Lili, obiit senex anno 1559. Fundavit in suo paedagogio quinque portiones 50 florenorum pro uno magistro et quatuor discipulis.

Matthaeus de Dordraco.

Sacrae theologiae licentiatus et regens paedagogii Porci, alias Standonck, obiit anno 1536, et in domo Standonica tres, in paedagogio vero quinque fundavit bursas.

Petrus de Monte.

Hic quum fuisset rector Universitatis, essetque sacrae theologiae licentiatus et regens paedagogii Falconensis, cum multorum admiratione fit Lovanii Franciscanus. Cujus encomium inter Fratres Minores positum est ¹.

Joannes Fortis.

« Joannes Fortis, Mirbecanus, professione theologus, sed nullius fere disciplinae ignarus, piissimus sacerdos, philosophus disciplina et moribus absolutissimus, justitiae et privilegiorum Universitatis defensor invictus, disceptantium pacificator acquissimus, collegii Buslidiani primus praeses; quo in dispiciendo, quae ad rem publicam pertinent, nemo fuit sagacior, nemo in perficiendo constantior, nemo ab omni ambitione remotior, ut qui ultro oblatas dignitates et ampliora sacerdotia, mediocritate contentus,

¹ Supra pp. 160, 261 et 265.

singulari animi modestia recusavit, consiliisque, re et opera in omnes liberalissime usus, incredibile sui desiderium et moerorem incomparabilem tum civibus, tum toti Academiae reliquit, mortuus anno 1536, 5 aprilis. »
Monumentum ad Martinenses.

CAPUT XXXI.

COMMÉMORATIO ALIQUOT SCRIPTORUM FACULTATIS ARTIUM.

*Rodolphus Agricola*¹.

Rodolphus Agricola primas magisterii artium obtinuit inter multos competitores in paedagogio Cacabi, qui nunc Falconis vocatur.

In ipso paedagogio gallicam linguam ita didicit, ut Hannoniorum simplicem rusticitatem devitaret, aulicamque ejus linguae elegantiam feliciter imitaretur. Mirabantur Galli Frisium intra paucissimos menses gallice perorantem.

Musices fundamenta iisdem annis jecit. Canebat enim voce, flatu, pulsu.

Relicto Lovanio, in Gallias et Italiam profectus est. Postea cum Joanne Camerario Dalburgio, Vangionum antistite, quem in graecis discipulum habuerat, Wormatiae et Heidelbergae, ad ultimum usque vitae actum vixit conjunctissime. *Geldenhaurius in vita ejus.*

Scriptis de inventione dialectica libros, Alardi Amstelredami diligentia editos. Hi libri quum doctorum omnium consensu docte, eleganter et copiose inventionis artificium tradant, in plerisque gymnasiis publice juvenuti exponuntur. *Bibliotheca.*

Moritur Heidelbergae, mente in Deum porrectissima, sepultus apud Minores anno 1485. Cui Hermolaus Barbarus, patriarcha Aquileiensis, hoc epitaphium scripsit.

Invida clausurunt hoc marmore fata Rodolphum
Agricolam, Frisii spemque decusque soli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania quidquid
Laudis habet Latium, Graecia quidquid habet.

¹ Cfr *Bibl. Belg.* t. II p. 1079.

Joannes Stannifex ¹.

Anno 1512, primus in Porco Joannes Stannificis, de Goscileto, inter condiscipulos 157. Scripsit et edidit, quum philosophiam profiteretur, sub nomine Facultatis, commentaria in logicam Aristotelis. Domini anno 1533 annuerunt ei pro eis 400 rhenenses communes. *Acta*.

Eorundem commentariorum revisio commissa est anno 1545 Michaëli Bayo, ab Ath, qui pro laboribus habuit 120 florenos. *Acta*.

Obiit Stannifex sacrae theologiae licentiatu, et praesidens collegii Hou-terlaei, anno 1536.

Franciscus Titelmannus ².

Anno 1521, primus Franciscus Titelmans, de Hasselt.

Anno 1531, primus Petrus Titelmans, de Hasselt.

Fecit Franciscus Titelmannus Facultati rem longe gratissimam, conscribendo physicam et dialecticam.

Obiit Allicoli Capucinus in Ordine S. Francisci.

Joannes Beverus.

Anno 1536, primus Joannes Sir-Jacobs, a Beveris.

Fuit acutissimi ingenii, et inter philosophiae professores ab omnibus princeps habitus.

Nihil edidit, sed post ejus mortem quidam ejus discipuli ediderunt commentarium in libros Aristotelis de naturalibus rebus, ex quotidianis ejus lectionibus excerptum.

Joannes Beverus, vir acri ingenio, adeoque in omni disciplinarum genere, maxime vero in philosophia versatissimus, indefesso labore ac studio, tot quotidianis tot annorum praelectionibus tantum sibi eruditionis collegerat, tantum erat opinionis atque existimationis consecutus, non modo ut esset scholae nostrae philosophiae princeps ac vertex, verum etiam sui temporis Aristoteles haberetur. *Praefatio discipulorum*.

¹ Vide Paquot, op. cit. t. XVIII p. 264.

² Cfr supra p. 264.

*Augustinus Hunnaeus*¹.

Quum apud Castrenses philosophiam profiteretur, edidit dialecticam et progymnasmata logices, in quibus qua utilitate laboraverit, frequens eorum editio testatur. Obiit sacrae theologiae regius professor anno mortalitatis 1578.

Theodoricus Tibaut, Harlemensis.

Anno 1564, ex ordinatione Facultatis, correxit textum Argyropuli adjectis annotationibus marginalibus graecis.

Fuit medicinae licentiatus et professor publicus abeunte Biesio.

Quum multis annis in philosophia laborasset, ex secunda nominatione vocatus est ad canonicatum Trajectensem.

Sub ejus magisterio studium philosophicum anno 1558 feliciter absolvi, cui Deus pro laboribus suis copiose rependat.

Joannes Rubus, Viletanus.

Conscripsit Lovanii novam versionem Logices Aristotelis, quam Duacum commigrans ibidem publicavit. Transiit ibidem a professione philosophica ad theologicam.

Joannes Custodis, Brechtanus.

Anno 1496 primus Joannes Custodis de Brecht.

Scrpsit Grammaticam, quae in multis scholis docetur, quam etiam Plantinus in-8^o excudit.

¹ Supra p. 520.

Joannes Despauterius, Ninivita.

Anno 1501, quartus Joannes de Ninivis.

Ejus commentarios grammaticos simul excuderunt Robertus Stephanus, Parisiis anno 1537, Sebastianus Honoratus, Lugduni anno 1565, et alii separatim.

Obiit Cominii. Cui Hecquetius scripsit :

Hic jacet unoculus, visu praestantior Argo.

CAPUT XXXII.

MEMORIA ALIQUOT PROFESSORUM QUI LOVANII LINGUAS SUNT PROFESSI ¹.

Amandus Zirixaeus.

Ordinis Minorum aliquando guardianus et minister, peregrinas linguas, hebraeam, chaldaicam et graecam tenuit, quum eorum typi vix a nostris noscerentur. *Titelmannus.*

Joannes Campensis ².

Joannes Campensis scripsit Grammaticam hebraeam, Parisiis a Wechelo editam.

Fuit professor hebraeus collegii Buslidiani, sed a Leone X Romam ob eruditionem est evocatus.

Scripsit de eo Alardus Amstelredamus :

Non sine laude diu Veneta praelegit in urbe :

Obtinet hinc Romae multa sacerdotia.

Lovanii statuit vitam finire docendo;

Friburgum veniens, peste repente perit.

¹ Quae hoc capite a Molano indicantur uberime pertractavit prof. Felix Nevius in suo commentario de Collegio Trilingui.

² Vide ejusdem professoris notitiam de vita et scriptis Joannis Campensis in *Analectis Kalendarii academici* an. 1845 p. 169.

*Nicolaus Clenardus*¹.

Patria non Mechliniensis, sed, ut ipse scribit, Diestensis, sacrae theologiae cum Jacobo Lato theologo licentiatus. Cui in pastornatu D. Petri, unius senatoris suffragio, Petrus Curtius praelatus est. Homo elegantissimi ingenii, scripsit Grammaticam hebraicam, quam Lovanii publice professus est.

Institutiones et meditationes linguae graecae, quibus Renati Guillonii annotationes et Petri Antesignani praxis accesserunt. Rescius pro ejus graeca professione impressit Chrysostomum de sacerdotio, anno 1529.

Scripsit quoque jucundissimas de peregrinationibus suis epistolas, quas Lovanii Velpius et Wellaeus, et Antverpiae, cum unius libri incremento, Plantinus excuderunt². Obiit Granatae anno 1542, quum e Mauritania rediret, ut studiis theologicis adjungeret professionem linguae arabicae contra Mahumetanos.

Jacobus Ceratinus.

Alias Hornensis, presbyter Deo devotus, graecarum literarum publicus professor, Lexicon graecum auxit, Basileae, apud Frobenium, anno 1524. Sepultus est ad Minores anno 1530.

Multum eum commendat Erasmus Bernardo Buchoni decano, lib. XVII epistolarum, et Georgio duci Saxoniae, lib. XIX.

*Joannes Ludovicus Vives, Hispanus*³.

Latinas literas Lovanii publice professus est, ibidemque varia conscripsit ac potissimum commentarios in libros D. Augustini de Civitate Dei.

Fuit cardinalis Croy praeceptor. *Erasmus, libro XIX epistolarum.*

¹ Vide F. Nevii notitiam de vita et scriptis Clenardi in *Analectis Kalendarii academici* an. 1844 p. 129.

² Epistolarum analysim vide in *Analectis Ka-*

alendarii academici an. 1854 p. 246.

³ De ipsius vita et scriptis egregium commentarium edidit Academiae nostrae vice-rector Namèche.

Rutgerus Rescius ¹.

Natus in Masaico Leodiensis ditionis oppido, primus in graecis claruit Lovanii et typographus et professor Buslidianus. Theophili Institutiones graecas a se impressas emendavit, variaque cum Joanne Sturmio convictore suo excudit.

Universitas ei prohibuit, ne in collegio Trilingui doceat Institutiones imperiales graece, sub poena excommunicationis. *Acta ad annum 1536.*

Rutgerus Rescius, graecae linguae professor, doctrinam non vulgarem incredibili quadam modestia, planeque pudore quodam virgineo condecorat. *Erasmus Bernardo Buchoni, decano Hagiensi, libro XVII.*

Adrianus Barlandus.

In schola artium rhetor, varia edidit opuscula, inter quae s̄unt de ducibus Brabantiae, de ducibus Venetis, de literatis urbis Romae principibus, institutio artis oratoriae, de insignibus oppidis inferioris Germaniae, jocosum veterum ac recentium libri tres, versio precum Matthaei Philadelphiensis, Isagogia rhetorices, dialogi.

Conradus Goclenius, Westphalus.

Primus claruit in collegio Buslidii linguae latinae professor, obiit anno 1539.

In cujus laudem est Erasmi ad Thomam Morum epistola libro XVII, et in obitum, Petri Nannii, successoris, oratio impressa.

Est vir nullo fuco, sincerus et amicus, prompta quadam ac pura latini sermonis facilitate et in hoc genere complures jam annos exercitatus. *Erasmus Bernardo Buchoni decano.*

Transtulit Luciani Hermotimum, quod opus a Thoma Moro, cui dedicatum voluit, tanti aestimatum est, ut eum inaurato poculo aureis anglicis

¹ Vide de Rutgero Rescio dicta a me in notis *versité de Louvain*, p. 46. ad orationem *Considérations sur l'histoire de l'uni-*

pleno remuneratus sit, existimans auream viri eloquentiam optimo auro et copiosissimo repensandam. *Ibidem.*

Erasmi, non meum, verbum est, Conradi ingenium quidvis potuisse; sed maluisse ipsum se obesulum quam πολυγράφον esse. *Idem, in Ciceroniano.*

Maximae reverentiae inter discipulos fuit, ut quo illum saepius audire concupiscerent, passi quiddam quod hydropici solent, quibus ex crebritate bibendi increbrescit sitis. Magna felicitas in tam longo profitendi tempore non sentire discipulorum aut nauseam aut stomachi cruditatem. Quod duobus maximis viris obtingere non potuit, Lactantio Firmiano et Rodolpho Agricolae, quorum alter ab auditorio desertus est, alter contumeliis evictus auditorium deseruit. *P. Nannius, in funebri oratione impressa apud Sassenum, anno 1542.*

Ejus scholia in officia Ciceronis excusa sunt Basileae 1544. Thomae Moro dedicavit Luciani Hermotimum, sive de sectis philosophorum dialogum a se translatus, Lovanii anno 1522,

Ex ejus legato quaelibet facultas habuit 80 rhenenses distribuendos.

Wilhelmus Nesenus.

Pomponii Melae geographiam profitetur. *Erasmus in epistolis.*

Adrianus Amerotius, Suessionensis.

Qui privatim Granvellanos multosque alios domi humaniores literas docuit, et integro biennio publice concionatus est ad clerum. Scripsit tractatum de dialectis lexico adjectum.

Fuit in schola artium primus anno 1516. *Acta.*

Petrus Nannius, Alcmarianus.

Linguae latinae post Goclenium professor, publica professione et editis libris de sermone latino bene meritus, etiam ex graecis literis in translatione operum Athanasii multum commendatur.

Andreas Balenus.

Andreas a Gennep, Balenus, hebraicam linguam in collegio trilingui Buslidiano, annos 36 professus, obiit anno 1568, annos natus 84. Cujus discipulos sese profitentur Adamus Sasbout, Wilhelmus Lindanus, Matthaeus Galenus, et alii complures.

Dixit mihi suam esse grammaticam hebraeam, quam Joannes Isaac edidit seque eam Isaaco dictasse.

Andreas Masius.

Anno 1533 primus Andreas Maes, de Liniaco. *Schola Artium.*

Linguam syriacam, cujus primus grammaticam edidit, illustravit. Transtulit ex syro commentarium Mosis ben Cepha de Paradiso, et alia a Plantino edita. Josuae imperatoris historiam versionibus et commentariis illustravit. Obiit 1573, 7 aprilis, ducis Cliviae consiliarius, vir catholicus.

Wilhelmus Canterus, Ultrajectinus.

Ex clara Canterorum familia, edidit novarum lectionum libros octo, rationem emendandi graecos auctores, animadversiones in officia Ciceronis, aliaque nonnulla.

Euripidis tragoedias novemdecim graece emendavit. Quum animum adjecisset, ut theologos ab illustrissimo cardinali Sirleto communicandos transferret, moritur annos natus 34, anno 1575, XV kalendas junii, sepultus ad S. Jacobum.

Joannes Isaac.

Quondam Judaeus, Lovanii in Christo renatus, ibidemque pro Baleno aegrotante literas hebraicas professus, scripsit grammaticam hebraeam et physicam hebraeam. Juvenis contra Wilhelmum Lindanum, patrinum suum, scripsit de optimo genere interpretandi, defendens hebraicam veritatem. Obiit peste anno 1577, professor hebraeus Coloniensis.

Cornelius Valerius, Ultrajectinus.

Sacerdos, ingenii honestissimi, Buslidianus linguae latinae professor, in mortalitate anni 1578 defunctus, edidit apud Plantinum et alibi grammaticam, rhetoricam, dialecticam, physicam, ethicam, triumphos et animadversiones in officia Ciceronis.

Guido Morillonius ¹.

Guidonem Morillonium de varia multiplicique literarum cognitione nobilem, Buslidiana in Lovaniensi Academia schola primum habuit linguae graecae professorem. *Goropius, ad Perenottum cardinalem, de Antverpia, libro IV.*

Scrpsit argumenta et scholia in epistolas Heroïdum et Ibin Ovidii, edita Lugduni a Gryphio, et Coloniae a Gymnico.

Scrpsit ad eum epistolas aliquot Erasmus. Memoria eique est insignis tabula picta in S. Petro, ubi sepultus.

Joannes Varennius, Mechliniensis.

Sacrae theologiae licentiatus, obiit Lovanii alens familiam. Scrpsit syntaxin linguae graecae, quae cum Joachimi Camerarii annotationibus excusa est.

Suffridus Petri ².

Suffridus Petri, Leovardiensis, juris utriusque licentiatus, graecas literas Lovanii et Erphordiae professus, scrpsit orationes quinque de utilitate graecae linguae. Athenagorae Apologiam et alia quaedam transtulit.

¹ Vide Analecta Kalendarii academici an. 1839 p. 263.

² Vide Analecta Kalendarii academici an. 1848 p. 167.

Cornelius Loosaeus.

Scopas latinas scripsit.

CAPUT XXXIII.

HISTORICI ALIQUOT STUDII LOVANIENSIS.

*Emundus de Dynter*¹.

Philippi secundi, ducis Brabantiae et Burgundiae, nec non trium ejus praedecessorum secretarius, scripsit brevem genealogiam ducum Brabantiae, excusam Argentorati anno 1552, Francofurti anno 1552.

*Damianus a Goës*².

Fuit eques Lusitanus a pueritia educatus cum Joanne III rege Lusitaniae, qui ultro detulit Orientalium Indiarum quaestoriam dignitatem, pro quo etiam Germanicis et Sarmaticis legationibus perfunctus est. Caeterum literarum amore quaestura deposita, perlustratis variis regionibus et academiis, Lovanii, quod oppidum ei intime carum et jucundum erat, cum uxore, studiorum causa, commigravit. *Ex libris ejus.*

Ubi historicos aliquot libellos conscripsit de rebus Æthiopicis, Indicis, Lusitanicis et Hispanicis.

Gerardus Mercator.

Geographorum nostri temporis, ut Ortelius testatur, princeps, scripsit chronologiam ab orbe condito.

¹ Nescio quam ob causam auctor Dynteri meminert, nisi forte quod in ecclesia D. Petri canonicatum habuerit. De Dynteri chronico auctor

supra saepius mentionem fecit.

² Vide Analecta Kalendarii academici an. 1855 p. 287.

Joanne Vasaevs, Brugensis.

Nicolao Clenardo incitatore ac socio in Hispaniam profectus, ubi primum, in Isabellae Augustae proregis Indiarum aula, negotia tribus annis tractavit, deinde Salamanticae trium linguarum publicus fuit professor, postremo Bracarensis juventutis magister, per cardinalem Henricum Portugalliae infantem evocatus, quum totidem propemodum annos in Hispania atque in patria vixisset, edidit tomum primum chronici rerum Hispanicarum, Salamanticae, anno 1552, in-folio. Coloniae, 1577, in-8^o.

CAPUT XXXIV.

MEMORIA ALIQUOT PICTORUM LOVANIENSIVM ¹.

Quia pictores non inter mechanicos opifices, sed inter liberales artifices connumerantur, paucis subjiciam memoriam quorundam pictorum.

Rogerus ².

Magister Rogerus, civis et pictor Lovaniensis, depinxit Lovanii ad S. Petrum altare Edelheer, et in capella beatae Mariae summum altare, quod opus Maria regina a Sagittariis impetravit, et in Hispanias vehi curavit, quamquam in mari periisse dicatur, et ejus loco dedit capellae quingentorum florenorum organa et novum altare, ad exemplar Rogerii expressum opera Michaëlis Coxenii Meehliniensis, sui pictoris.

Ejus quoque artificii sunt

Testes picturae quae Bruxellense tribunal

De recto Themidis cedere calle vetant.

Dominicus Lamponius.

¹ Eduardus Van Even, cui Molani codicem lubenter concedideram, hoc caput XXXIV illustravit edito opusculo: *Nederlandsche Kunstenaers,*

vermeld in de onuitgegevene geschiedenis van Leuven, van J. Molanus; Amsterdam 1858, pp. 52 in-8^o.

² *Rogerus van der Weyden.* Vide op. cit. p. 7.

Quintinus Mesius ¹.

Primus faber fuit, qui malleo contudit eam molem, qua fons baptismalis ad S. Petrum clauditur. Quod artifices fabri admirantur.

Deinde in tantum sub Rogerio in excellentem magistrum profecit, ut ob artificium tandem Antverpiam frequenter evocatus commigrarit.

Ejus opus est Lovanii altare Sanctae Annae, Antverpiae altare ad S. Mariam ab iconomachis ob artificium vindicatum.

Ante faber fueram cyclopeus, ast ubi mecum
Ex aequo pictor coepit amare proeus,
Seque graves Tuditum sonitus postferre silenti,
Peniculo objecit cauta puella mihi.
Pictorem me fecit amor.

Dominicus Lampsonius, ad ejus effigiem, in libro pictorum celebrium inferioris Germaniae, Antverpiae, anno 1572.

Effigiem meam fudit aere. *Erasmus libro XIX epistolarum.*

Theodoricus Bouts uterque ².

Claruit inventor in describendo rure, mortuus anno aetatis 75, domini 1400, die 6 maii. Ejus et filiorum ejus Theodorici et Alberti effigies exstant apud Minores e regione suggestus.

Theodorici filii opus sunt in ecclesia divi Petri duo altaria venerabilis Sacramenti, quae multum ex arte commendantur.

Albertus Bouts ³.

Filius Theodorici multa devote Lovanii depinxit ad Augustinienses et alibi. Capellae beatae Mariae donavit in parvo choro altare Assumptionis beatae Mariae. Quod opus audio eum non potuisse triennio absolvere.

¹ *Quinten Metsys.* Vide op. cit p. 9.

p. 12, 15 et 28.

² Scilicet *Theodoricus Stuerbout*, ejusque filius eodem *Theodorici* nomine insignitus. Vide ibid.

³ De *Alberto Stuerbout* vide ibid. p. 16.

*Henricus Vander Heiden*¹.

Lovanii sui memoriam reliquit in ostiis altaris S. Annae, et in multis privatis picturis. Uxorem habuit filiam Joannis Mabusii, pictoris longe famosissimi. Hic pictor postea ex patria sua Middelburgum commigravit, ubi socer ejus Malbodius, sive Mabusius, ad Praemonstratenses in summo altari depinxit per tria lustra Annunciationem beatae Mariae, quae anno 1560 fulmine cum ecclesia periit.

*Bartholomaeus Van Kessel*².

Pictor et ecclesiae D. Petri custos, fudit super mortuis hominibus corpus Christi mortuum, prout cernitur in sepulcro montis Calvariae et in variis urbis nostrae ecclesiis. Fundebat etiam formas viventium hominum, dans eis aliquid in ore ad respirandum. Hujus mentionem ingero, non ob artificium sed ob pietatem. Sepulcra enim haec a multis religiose invisuntur.

¹ Vide op. cit. pp. 17 et 31.

² De eodem vide infra lib. XI, verb. cit.

HISTORIAE LOVANIENSIIUM

LIBER DECIMUS.

DE PIIS FUNDATIONIBUS.

DE PIIS FUNDATIONIBUS.

CAPUT I.

LEPROSARIUM.

Domum beatae Mariae leprosorum de Banco fundavit Henricus I, dux Lotharingiae, anno 1197; de qua late actum est in monasteriorum descriptione¹. Quare hoc loco tantum adjiciam fundatoris ordinationem de leprosis.

« Communi decrevimus deliberatione, ne quis in eadem domo lepra infectus recipiatur, nisi sit burgensis vel burgensis proles oppidi Lovaniensis, seu aliquis in Heverla oriundus et stabili conversatione commoratus. Quod si quem dictorum locorum oppidanum vel indigenam alias transire morandi gratia et ibidem lepra infici contingeret, et infectus ad loca priora redierit, ut sic intrandi facultatem obtineat, minime recipiatur. Si vero leprosus quispiam, per sententiam burgensium supradictorum et vicinorum, extra communem hominum conversationem ejectus fuerit et domum dictam ingredi neglexerit, sed aliam mansionem elegerit, vel vagus per terram circumierit, licet in posterum eandem requisierit, nullatenus admittatur. Si etiam idem extra oppidum vel villam memoratam ejectus prolem genuerit et eandem lepra infici contigerit, et recipi ibidem petierit, similiter abjiciatur. Si qui vero leprosorum probationis causa domum ingressi, votum facere negligentes egressi fuerint, sine spe reversionis excludantur, similiter et eorum filii, si quos ab eisdem contigerit generari. Promisimus autem et firmiter statuimus a nobis nostrisque successoribus observandum, ne vel prece vel dispensatione aliqua contra hanc institutionem veniatur. »
Ex originalibus literis Henrici fundatoris.

¹ Supra p. 327.

CAPUT II.

HOSPITALE MAGNUM ¹.

Xenodochium est in antiqua possessione occupandi omnia bona mobilia et immobilia eorum qui inibi moriuntur. *Attestatio senatus anno 1428, junii 16, libro B, folio 151.*

CAPUT III.

DE TRIBUS PARVIS HOSPITALIBUS.

Hospitale S. Laurentii.

Magistri seu rectores hospitalis S. Laurentii cum curato ecclesiae sancti Jacobi anno 1484 concordiam inierunt, in qua teutonicis verbis praefantur clare constare ex sigillatis literis episcoporum Leodiensium, capituli S. Petri, parochi S. Jacobi et cum consensu ducis Brabantiae et oppidi Lovaniensis ante annos centum et nonaginta, aut circiter, erectum esse in parochia S. Jacobi hospitale ad honorem Deiparae Virginis et sancti martyris Laurentii, in quo refugium suum habent pauperes et peregrini, ibidem quietem capientes et eleemosynam secundum tenuem facultatem dicti hospitalis.

Addunt deinde mamburni in hoc hospitali recenter constructam esse cappellam, in qua cum benevolentia pastoris cupiunt unum altare consecrari in honorem SS. Laurentii, Servatii et Fiacrii.

¹ Vide supra p. 542.

CAPUT IV.

DE MAGNA MENSA SANCTI SPIRITUS.

(*Desideratur hoc cap. in Molani codice*).

CAPUT V.

DE MINORIBUS MENSIS SANCTI SPIRITUS.

Mensa S. Michaëlis.

Ad hanc mensam, inter alios, contulerunt D. Joannes Peermans, vicecuratus, 15 florenos.

Henricus van Schoere, 27 florenos.

Leo Outers, cancellarius Leodiensis, 10 florenos.

Henricus de Mera, filius Henrici equitis, 31 florenos *Ad oram Molanus habet folio 364 verso* : Sieth Meesterse ende H. Matthæus van Morsele VI, g.

Mensa domesticorum pauperum parochiae S. Petri.

Joannes de Horne, episcopus Leodiensis, anno 1498 dedit pastori S. Petri plenissimam commissionem nominandi quinque aut sex magistros hujus mensae. Qui ei tenebantur reddere rationes. A quo tempore, ex parvis initiis haec fundatio multum crevit.

Erat tunc pastor... Sunt autem inter notabiliores hujus mensae benefactores infra scripti :

Joannes Bertolfs, alias van Aken, 25 g.

Jacobus Rogiers, 25 g.

Wilhelmus de Vianen, pastor, S. theologiae doctor, 20 g.

Barbara Roelofs, domina de Tynteville, anno 1529 pro vestitu triginta personarum legavit quinque parochiis annue per turnum, 60 g.

- Joan. Blancaerts et Helwigis van Bausele, 15 g.
 Godefridus van Ermbogen, 10 g.
 Antonius Poortvliet, regens Castri, 21 g.
 Arnoldus van Vroenhoven, 18 g.
 Parentes Hieronymi van Winghe, ad septem telonia, 15 g.
 Gertrudis Vanden Dale, vidua Joannis van Malecote, 10 g.
 Wilhelmus Stevens, alias van Ghele, et Elisabeth Bachers, ut pauperes
 circa festum Martini vestiantur, 1527, 79 g.
 Joannes Peermans, capellanus, 49 g.
 Valentinus Unger, canonicus, 58 g.
 Arnoldus Trot, capellanus, 98 fl.
 Leo Outers, cancellarius Leodiensis, 22 fl.
 Carolus Buckelaer, Antverpiensis, doctor juris, 1541, 61 fl.
 Catharina Rillaer, vidua Joannis Beterjans, 1556, 22 fl.
 Joannes Winckele, doctor medicinae, et Margareta Boogaerts, 20 fl.
 Rolandus van Winde, et Anna Wafelaers, 50 fl.
 Arnoldus van Halvermylen, secretarius, et Catharina Kips, 27 fl.
 Maria van Hamale, marchionissa Arschotensis, 25 fl.
 Petrus Curtius, episcopus Brugensis, 12 fl.
 Dominus Cacaert, doctor U. J. et Dympna van Wyngaerde, 76 fl.

Mensa domesticorum pauperum S. Gertrudis.

Eeckens Holam, 1574, 10 g.

Mensa domesticorum pauperum S. Jacobi.

(*Desideratur notitia in Molani codice.*)

Mensa domesticorum pauperum S. Michaëlis.

Inter notabiliores benefactores sunt Thomas van Oppendorp, 5 fl.
 Vidua Boxhorinex, 5 fl.

Wilhelmus Van Gele, 5 fl. cum medio.
 Catharina Oppendorp, fundatrix Clarissarum, 6 fl.
 Gabriel Mera, doctor utriusque juris, 11 fl.
 Joannes Peermans, vice-curatus, 10 fl. cum medio.
 Valentinus Unger, canonicus Lovaniensis, 10 fl.
 Leo Outers, cancellarius Leodiensis, 10 fl.
 Maria de Hamеле, domina Cerviensis, 25 fl.
 Joannes Winckele, medicinae doctor, 7 fl.
 Gertrudis van Ghele, 20 fl.
 Nicolaus Vander Leen, 18 fl.
 Catharina Oliviers, vidua Martini Zielis, 5 fl.

CAPUT VI.

DE GERONTOCOMIIS.

Gerontocomia, graeca voce, dicuntur loca, in quibus senibus subsidia vitae administrantur.

Domus sororum sanctae Barbarae.

Quando originem suam, aut per quos acceperit, nusquam reperitur.

Inter literas hujus foundationis, quae exstant antiquissimae, sunt datae anno 1279, in quibus Simon, sub-plebanus S. Petri, inhaeretur in duobus modis tritici, nomine infirmariae pauperum Beghinarum, sitae in Wirinck.

Sunt aliae literae inspectionis, datae anno 1401, in quibus scabini attestantur se vidisse antiquiores literas scabinales, datas anno 1278, feria secunda post festum Martini hiemalis, in quibus Reinerus plebanus acquirit 7 solidos antiqui census ad duas domos sitas (*op die Donderbusse*) in Lovanio ultra Aa, ad opus infirmariae pauperum Beghinarum, sitae in Wiringhia, in honore beatae Barbarae institutae.

His tertiae accedunt datae coram scabinis Edelhere et Zedelere, anno 1311, in quibus duo dimidii modii bladi recognoscuntur magistrae domus,

sive infirmariae sanctae Barbarae in Wyrinck, nomine et ad opus ipsius infirmariae.

In archivis ecclesiae S. Petri exstat testamentum Ægidii Beverlizen, decani, anno 1310 confectum...

Denique domicella Mathildis van Rode, anno 1342, pro suo et parentum anniversario, in capella S. Barbarae faciendo, supportavit 8 solidos, totidem capones et 15 denarios; in quibus jure allodiali impositus est Godefridus Blanckaert, plebanus, ad opus S. Barbarae.

Domus duodecim apostolorum.

Petrus Heime, patricius Lovaniensis, moritur anno 1422. Fundavit sacellum duodecim apostolorum, et in Christi ac apostolorum honorem adjecit foundationem 13 pauperum, quorum tutelam senatui commisit.

Domus septem dormientium.

Joannes Keynoghe, patricius Lovaniensis, obiit anno 1460. Fundavit in Longa Brula domum Sanctae Trinitatis, in qua septem senes cum ancilla aluntur.

Hujus foundationis tutores in suo testamento nominavit receptores civitatis Lovaniensis.

Fundatio Halvermyle.

Arnoldus ab Halvermyle, secretarius oppidi Lovaniensis, vir nobilis et erga ecclesiam Dei munificus, inter caetera pia legata fundavit in parochia S. Jacobi septem cellas pro septem vetulis mulierculis, anno 1552.

Fundatio Helwyghen.

In eadem parochia ad Furam Ludovicus ab Helwyghen, praeses Flandriae, similem fecit foundationem pro sex senibus viris et ancilla.

Henricus Colve, anno 1447, junii 22, coram senatu legavit pro quinque senibus domum suam apud Forum pecorum cum quibusdam redditibus, ordinans ut per mercatores praeferantur aliis sui opificii indigentes. *Libro B, folio 262.*

CAPUT VII.

DE FUNDATIONIBUS PUERORUM.

De exposititiis pueris.

Joannes de Foro, potens faber ferrarius, puerorum expositorum domum et fundationem inchoavit, qui ex peste obiit anno 1459. Estque haec fundatio, ex ejus voluntate, anno 1441 absoluta.

Horum puerorum tutelam et patrocinium ad se magistratus recepit. Unde etiam vestiuntur a magistratu habitu semi albo et semi rubro, juxta colores scuti Lovaniensis.

De pueris S. Petri.

In antiquis ecclesiae D. Petri libris notantur aliquoties redditus, qui dabantur pauperibus scholaribus sedentibus ad sportam. Ii redditus nunc sunt symphonicorum puerorum. Sunt autem praeter chorales septem pueri S. Petri. Siquidem Henricus Houterle, scholasticus Lovaniensis et dominici Sepulcri peregrinus, anno 1469 instituit confraternitatem septem Innocentium puerorum S. Petri. Quorum donationem in suo testamento auxit.

De schola S. Barbarae.

(Desideratur notitia in Molani codice.)

CAPUT VIII.

DE COLLEGIIS STUDII THEOLOGICI ¹.*Collegium Theologorum.*

Ludovicus de Ryke, eques et ex senatore Lovaniensi reddituarius principis, et uxor ejus Judoca anno 1442 aedes suas cum omnibus pertinentiis in honorem S. Spiritus converterunt in collegium Theologorum, et 80 florenos haereditarie contulerunt pro septem pauperibus scholaribus in theologia. Quae fundatio auctoritate magnifici rectoris contracta est ad tres portiones.

Ægidii Bailleul, sacrae theologiae professoris famosissimi, bursam accepit anno 1483.

Martinus van Eckerbroeck, de Soemeren, sacerdos, adjecit anno 1468 duas, quamlibet 15 florenorum, quas Ruardus rector anno 1554 univit.

Nicolaus de Porta, rector parochialis ecclesiae de Hamont, intuitu precum et instantiarum magistrorum collegii Facultatis sacrae theologiae consensit anno 1479, sub Sixto IV, ut personatus suus incorporaretur magistrali collegio ad opus pauperum studentium in collegio S. Spiritus. Hinc quatuor ali solent, sed quarta portio datur pastori in Hamont.

Jacobus de Cotthem, decretorum doctor, frater novitius Ordinis Minorum, extra et prope Placentiam, legavit anno 1481 omnes libros suos in theologia et philosophia, centum florenos rhenenses, et ad unius scholaris sustentationem possessionem suam in Uckele prope Bruxellam, dictam *Zeccrabbe*, quae per subhastationem vendita est 12 florenis annuis.

Henricus Grimberch et Margareta Meeus, anno 1499 fundaverunt in collegio S. Spiritus duas bursas pro studiosis in theologia et duas parvas pro studiosis in artibus. Quarum praesentatio est penes gubernatores mensae S. Spiritus sanctae Gudilae Bruxellensis, qui ob tenuitatem unum studiosum in theologia aut artibus ad utramque bursam praesentant.

¹ Inter Analecta Kalendarii academici an. 1839 p. 278 exstat descriptio Majoris et Minoris collegii Theologorum, una cum praesidium et bursarum notitia.

Joannes Varenacker, primus plebanus D. Petri postquam cura Facultati est incorporata, et Wilhelmus ejus frater, ejusdem ecclesiae thesaurarius, fundaverunt duas bursas, quamlibet 25 florenorum, et duas missas hebdomadatim.

Batholomaeus de Aquis, mercator Venetus, fundavit anno 1507 bursam 21 florenorum. E quibus decem applicati sunt ad reparationem domus Meldaert, ideoque conjuncta est bursae Cotthem.

Gaspar Kinschot, canonicus et regens Falconis, adjecit parvam bursam 15 florenorum, quam Facultas auxit.

Joannes de Hoya, Gandensis, sacrae theologiae doctor, annos natus 87, obiit anno 1518, sepultus in Carthusia, adjecit bursas duas.

Antonius a Poortvliet, regens Castri, addidit bursas quatuor anno 1514.

Godscaleus Rosemond, sacrae theologiae professor, unam.

Joannes Moeselaer, regens Castri, unam pro Castrensi.

Wilhelmus de Vianen, sacrae theologiae professor et pastor S. Petri, duas.

Conradus de Sarto, Leodiensis, decretorum licentiatus, canonicus et custos S. Lamberti, abbas saecularis Namurcensis, praepositus et consiliarius Mechliniensis, obiit Lovanii anno 1502, sepultus in Carthusia, ubi cellam fundavit. Fundavit quoque in collegio pro bursa 25 florenos, pro bove 14 florenos, et quotidianum sacrum in sacello clericorum celebrandum ad collationem decani et pastoris S. Petri.

Nicolaus Coppin, decanus et cancellarius, bursas duas.

Joannes Briard, ab Ath, vice-cancellarius, unam.

Joannes Martini de Schoonhovia, decanus et pastor Culenburgensis, unam.

Joannes Carondelet, archiepiscopus Panormitanus, duas.

Odoardus de Bersagues, praepositus Audomarensis, primus eleemosynarius regis Philippi, dedit centum florenos haereditarie pro dotatione duarum bursarum, quae Audomarenses dicuntur, et pro communibus collegii oneribus.

Petrus Cortrel, in ecclesia Tornacensi canonicus, archidiaconus Gandensis et vicarius generalis, fundavit Lovanii bursas sex, e quibus duae sunt in collegio Theologorum, ex praesentatione capituli Tornacensis.

Cornelius Braen, mercator Antverpiensis, construxit novum et prima-

rium aedificium Majoris collegii anno 1523. Aedificium Tornacense construxerunt executores Petri Cortrel.

Judocus Van den Hoeve, praesidens collegii Trilinguis, antea bedellus Facultatis, pro communibus bonis et oneribus dedit anno 1536 ultra centum florenos annuos.

Cornelius a Stryen, sacrae theologiae licentiatus, canonicus Hagiensis palatii et fidei generalis inquisitor, fundavit disputationes sabbatinas. Obiit 12 augusti 1546.

Simon de Plaenen, ab Asperen, pastor Antverpiensis, addidit bursam unam.

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius, legavit collegio bursam unam, notabile augmentum bonorum communium et instructissimam suam bibliothecam.

Bokeldus Cornelii, pastor in Wouda, bursam unam.

Aegidius Van Brueseghem et Maria Van der Meren, ejus vidua, Antverpienses, fundaverunt bursas duas.

Joannes Bergheick, cognomine de Hamalia, pastor quondam Goudanus, unam.

Gabriel Vlierden, sacrae theologiae licentiatus, canonicus Gandavensis, bursas tres.

Elisabeth Van den Bossche, virgo, unam anno 1572.

Joannes Brants, canonicus Brugensis, unam septem librarum, anno 1577.

Judocus Ravestein, Tiletanus, sacrae theologiae professor, unam.

Philippus de Spina, decanus Buscoducensis, permisit suum personatum Schindelensem, quoad 200 florenos collegio Pontificis, quoad residuum collegio Theologorum incorporari ¹.

Secundum collegium Theologorum ².

Quum collegium Theologorum multum cresceret, visum fuit Facultati expediens, si in duo collegia divideretur. Itaque pro secundo collegio des-

¹ Hic folio 569 recto in ima ora addit Molanus : factoribus annumerandi sunt.
 « Joannes Sandtvoliet, ab Eeckeren, pastor Liranus. ² Vulgo Collegium minus.
 » Gerardus Mera; » qui collegii theologici bene-

tinatur domus Meldert, quam anno 1515 collegio donaverat Catharina Pynnocx, vidua Liberti de Meldert, domini de Buedingen et de Vroedelingen, ac advocati in Raethoven.

Contulerunt autem pro reparatione et adaptatione secundi collegii, quod inchoatum est anno 1561, die 19 julii, doctor Winckele 400 florenos, executores dominae Cerviensis 200, et Gabriël Vlierden, canonicus, 50.

Florentius Egberti, Harlemensis, pastor S. Gudilae, contulit collegio Theologorum redditum 26 rhenensium, quem impendi voluit in tertii collegii aedificationem, quando illud aedificari continget, anno 1571 die 3 augusti.

Collegium Pontificis.

Adrianus Sextus, pontifex, de quo alibi scripsimus¹, magnifice fundavit et dotavit. Factus decanus ecclesiae D. Petri, ut magnus ei animus inerat, collegii sui aedificium supra vires felici ausu incepit et felici successu operis perfecit. Ferunt Bernardum Carvajalem cardinalem, Julii II legatum, sibi indignantem suspirasse, quum videret decanum infimae prae se fortunae condidisse magnificum opus, quod ipse jam olim idem meditatus nedum inchoare potuisset.

Wilhelmus Enchevordius, Buscoducensis, quem Adrianus VI a subnotandis supplicibus libellis datarium et postea Dertusensem episcopum et cardinalem creavit, Clemens vero VII episcopum Trajectensem nominavit, hic omni favore, consilio et auxilio collegium prosecuens, inter alia beneficia, impetravit incorporationem ecclesiae de Asscha, cujus aliquando pastor fuerat.

Petrus Van den Mael, canonicus Lovaniensis, postea Trajectensis, Adriano summe carus, adjecit bursam unam, legans collegio villam in Berthem.

Godscalculus Rosemondt, sacrae theologiae professor, primus praesidens unam.

Theodoricus Hesius, Adriano VI a secretis epistolis, unam. Fuit vir optimarum literarum notitia praeditus, christiana modestia insignis et singulari pietate conspicuus, et ut Jovius scribit, ad honorem pilei coccinei,

¹ Supra p. 156, 162 et 509.

quum primum novi cardinales ab Adriano crearentur, destinatus. Quo mortuo, Leodium secessit et ab Clemente VII ad amplios honores frequenter, etiam missis equis, revocatus, modeste et constanter renuit, ut verissime in ejus epitaphio legatur :

Qui, quum magnus erat, majorque evadere posset,
Cunctis posthabitis, maluit esse latens.

Ruardus Tapper, decanus et cancellarius, bursas duas.

Petrus Uten, Rhetensis, pastor Antverpiensis, antea ejusdem collegii (in altera bursa Ruardi) primus alumnus, adjecit bursam unam.

Franciscus Sonnius, episcopus Antverpiensis, duas.

Zegerus Soenkens, Rhetensis, canonicus et thesaurarius Lovaniensis, unam.

Arnoldus Beer, capellanus Lovaniensis, antea domini Petri Van den Maele minister, bursam unam.

Philippus de Spina, decanus Buscoducensis, permisit suum personatum Schindelensem quoad 200 florenos pro quatuor studiosis incorporari.

Collegium Houterle¹.

Henricus Houterle, ab Hooghstraete, scholasticus D. Petri, anno 1511 fundavit ex majori sua domo, in honorem Nominis Jesu, collegium quatuor bursariorum, studentium in Facultate sacrae theologiae.

Joannes Pollet, Cortracensis, utriusque juris licentiatu, canonicus Insulensis et inquisitor, moriens anno 1560 adjecit bursam 58 carolinorum.

Petrus Curtius, episcopus Brugensis, superaddidit bursas duas, quamlibet 50 florenorum, nummo 20.

Collegium Bierbecanum.

(Desideratur notitia in codice Molani.)

¹ Inter Analecta Kalendarii academici an. 1842 . p. 144 exstat hujus collegii descriptio.

Collegium ad Leydam.

Michaël Baius, decanus et cancellarius Lovaniensis, domum emit pro collegio ad honorem S. Augustini.

Habet ab Adriano Amerotio, Suessionensi, juris utriusque licentiate, pro bonis communibus circiter 70 florenos annue.

Victor Slughere, pastor in Oostbrugge et decanus pastorum, fundavit anno 1575 bursas duas quamlibet 50 florenorum, unam assignatione reddituum, alteram numerando 800 florenos, quos in coelo recondere maluit, quam pro suis necessitatibus contra futuras, quae impendebant, haereticorum oppressiones reservare.

Livinus Leenaerts, Middelburgensis, medicinae doctor, Bruxellae residens, obiit anno 1564, 24 augusti. Fundavit duas bursas theologicas, quarum una negligentia receptoris periit, et altera vero 45 florenorum huic collegio est incorporata.

Barbara Moorkens, magistra parvi Beghinagii Lovaniensis, moritur anno 1578, 2 julii, adjecit bursam unam.

Collegium Divaei.

Georgius Divaeus, adolescens, annos natus 21, anno jubilaei ex Roma rediens, Namurci ex variolis obiit anno 1576, die 30 januarii. Domum suam, in Sacelli monte sitam, convertit in collegium S. Gregorii, quod pro duodecim studiosis in sacra theologia dotavit¹.

CAPUT IX.

DE COLLEGIIS MONASTICIS STUDII THEOLOGICI.

Monasterium Praedicatorum.

Habet fratres conventuales et fratres studentes, qui, praeter publica

¹ Post Molani aetatem crevit collegiorum academicorum numerus, adeo ut labente saeculo decimo octavo tria et quadraginta exstarent. Vide Analecta Kalendarii academici an. 1847 p. 206.

scholae exercitia, domi habent duos regentes, quorum primarius Summam S. Thomae docet.

Hic conventus nullas habet bursas studentium. Caeterum alii quidam conventus, ut Insulensis, Buscoducensis, Gandensis, bursas habent, quas sibi reservant, et pro studentibus, quos mittunt, solvunt juxta capituli provincialis decretum.

Joannes Villeers, canonicus Trajecti ad Mosam, fundavit bursam 62 florenorum, ad quam prior Praedicatorum Leodiensis unum religiosum aut duos praesentare poterit rectori Universitatis et priori conventus Lovaniensis.

Collegium Carmelitarum.

Godefridus de Loo, sacrae theologiae professor Lovaniensis, notabile membrum Universitatis, erexit novum collegium, quod Universitas anno 1461, die 10 februarii, gratanter sibi incorporavit, et sub sua protectione suscepit.

Fuit primus hujus collegii per suam vitam praesidens, quod ad Voram ex domo sua fundavit vir pacificus Georgius Bourgensis, de Cameraco, assessor conservatoris. Obiit anno 1488, die 27 martii. Domum suam in via Lapidea donavit scholastico collegio Fratrum Ordinis beatae Mariae de Monte Carmeli. *Liber A. fol. 1331.*

Quo mortuo, Aegidius Fabri, sacrae theologiae professor, regens collegii, collegium prius situm juxta capellam Clericorum eo transtulit.

Velasco de Lucena, magister hospitii Caroli, principis Castellae, dat Carmelitis conventus Mechliniensis 230 florenos, ut redditus emant pro studioso graduando. Alias est contra ejus mentem. *Testamentum anni 1512.*

Collegium Cruciferorum.

Philippus de Hont, ex West-Zuborch, Walachriae villagio, oppidanus Lovaniensis, viduus honestae mulieris Barbarae Van Herlaer, obiit anno 1493, 12 martii, sepultus ad S. Jacobum in sacello S. Crucis. Domum suam convertit in collegium Cruciferorum pro Cruciferis ex Goes et Namurco.

Tenantur autem ex ejus fundatione tres Ordinis Cruciferorum sacerdotes scholas theologicas quotidie visitare.

Collegium Societatis Jesu.

Commemoratum est inter monasteria. *Libro IV, cap. XLI.*

Collegium Praemonstratense.

Praemonstratensis Ordinis abbates quatuor, videlicet Parchensis, Everbodiensis, Grimbergensis in Brabantia, et Ninivensis in Flandria, inchoarunt et fundarunt anno 1571 collegium studiosorum sacerdotum sui Ordinis.

Quibus mox se adjunxerunt alii duo Brabantiae abbates, Tongerloensis et Antverpiensis.

CAPUT X.

DE TRIBUS COLLEGIIS STUDII JURIS.

Collegium Juristarum.

Hoc collegium, ad honorem S. Ivonis fundatum, collegium Facultatum utriusque juris munifice intertenet.

Primus fundator est Robertus de Lacu, juris utriusque doctor, qui anno 1483 legavit Facultatibus utriusque juris domum suam in Nova Platea ad opus collegii pro pauperibus ac honestis scholaribus juris studiosis. Habet ex parte fundationis duas bursas.

Gasparis Kinschot, canonici D. Petri, duas parvas, quas Gaspar Stylen, cognatus ejus, advocatus Bruxellensis, auxit anno 1488.

Simonis de Slusa, praepositi et archidiaconi majoris ecclesiae Ultrajectensis, medici Philippi archiducis, unam, anno 1499.

Fratris Andreae Eligii, de Middelburgo, Ordinis Minorum, bursam florenorum 26, ex bonis quae ei provenerunt ex nobili domo Bergensi.

Quam possideri voluit a studioso juris canonici ex dominio domini de Bergis oriundo, anno 1503.

Gualteri de Beka, juris utriusque doctoris, bursas duas, anno 1517.

Petri de Thenis, Lovaniensis, juris utriusque doctoris, unam, anno 1523.

Arnoldi Vroenhoven, Rodensis, ex bonis domicellae Catharinae Van Buetsse prioris uxoris, bursam Rodensem, anno 1514.

Gabriëlis de Mera, juris utriusque doctoris, unam, anno 1530.

Joannis de Loemel, archidiaconi Famennae, unam, anno 1532.

Lamberti Ten Duynen, canonici Ultrajectensis majoris ecclesiae, ad capituli praesentationem, unam, anno 1553.

Laurentii Vander Linden, consulis Lirani, apothecarii Caroli V, bursam Lirensis, anno 1561.

Vulmari Bernaerts, primarii professoris juris canonici, bursas duas, anno 1570.

Collegium S. Donatiani.

Antonius Hanneron, decretorum doctor, proto-notarius apostolicus, praepositus S. Donatiani, illustrissimi Maximiliani consiliarius, anno 1488 donatione inter vivos Lovanii, ubi meliores suae juventutis annos exegerat, ex domo sua in vico Cattorum fundavit collegium et capellam S. Donatiani, pro bursariis et camerariis in jure canonico studentibus.

Fundavit autem, sub protectione Facultatis artium, unam praebendam sacerdotalem, alteram pro magistro collegii et quinque pro studentibus.

Christophorus de Barouse, ordinis equestris, Caesareae Majestatis magister hospitii, adjecit anno 1532 bursam unam, et pro novo templo 300 florenos.

Joannes Carondelet, archiepiscopus Panormitanus, praepositus S. Donatiani, ante Schorum secreti concilii praeses, anno 1544 adjecit bursas sex, quarum collatio pertinet ad dominum de Solre, et priores fundationes auxit ut merito secundus collegii fundator habeatur.

Fuit autem Joannes Sterke, de Meirbeke, sacrae theologiae licentiatus, hujus collegii praesidens anno 1515. *Acta scholae artium, lib. VI, fol. 120.*

Collegium Winckele.

Fundavit Joannes de Winckele, Lovaniensis, medicinae doctor, quem Universitas ob praeclaras dotes multum venerabatur, anno 1552. In qua re patris sui Joannis de Winckele, notarii conservatoris, extremae voluntati plenissime obsecundavit.

Joannes Heetvelt, canonicus Brugensis, filius Joannis Heetvelt, doctoris medici, adjecit duas bursas, quamlibet 50 florenorum.

CAPUT XI.

DE UNO MEDICORUM COLLEGIO.

Petrus Bruegelius, Buscoducensis, medicinae doctor Venetus, sive Patavinus, et celeberrimus regius professor Lovaniensis, moriens anno 1577, primus Medicis collegium fundavit et in eo bursas sex.

CAPUT XII.

DE PAEDAGOGIIS ET COLLEGIIS STUDII ARTIUM.

Paedagogium Lillii.

Carolus Viruli, in jure canonico et medicina baccalaureus, primus fundator et per annos 56 regens paedagogii Lillii, obiit anno 1493 octogenarius. Legavit Lillio domum suam, multaque alia bona, ad usum magistrorum et scholarium. Unde hactenus annue receperunt 171 rhenenses et duos modios siliginis mediatim dividendos. Item reliquit solis scholaribus redditus fere 30 florenorum. Donavit quoque hortum in platea Flamingorum, qui *Leonis* dicitur, eo quod Leoni Outers ejus usumfructum donaverat. De fundatione ipsius est consilium Nicolai Everardi clarissimi doctoris et praesidis.

Leo Outers, Hondiscotanus, qui Virulo in regentia successit, fundavit tres bursas pro Leodiensibus et tres pro Duinckerckanis. Obiit cancellarius Leodiensis.

Lottinus Viruli, canonicus Leodiensis, unam.

Gerardus de Meeuwen, vice-decanus Leodiensis, duas 45 florenorum.

Joannes Heems, ab Armenteria, regens et medicinae doctor, fundavit quinque bursas, seu portiones 50 florenorum pro uno magistro et quatuor discipulis, anno 1559.

Joannes de Villeers, canonicus S. Mariae Trajectensis ad Mosam, fundavit anno 1565 bursam 62 florenorum pro studioso in artibus et quacumque Facultate superiori, cujus praesentatio est penes Jacobum de Langaigue, mercatorem Antverpiensem, eoque mortuo penes primum familiae ejus. Dicitur autem Langaigue bursam auxit 20 florenis annue, et in duas divisit.

Petrus Curtius, episcopus Brugensis, unam, anno 1567.

Segerus Zoenkens, canonicus et thesaurarius S. Petri, unam 40 rhenensium, anno 1579.

Joannes Brants, Buscoducensis, canonicus Brugensis, unam.

Paedagogium Falconis, antea Cacabi dictum.

Quum istud nemo sub onere paedagogii emere vellet, veneranda Facultas artium magnis impensis ad se recepit.

Gaspar Kinschot, regens, fundavit parvam bursam pro magistro studioso theologiae, anno 1488.

Gualterus Henrici, initiator Carthusiae Lovaniensis, fundavit bursam unam pro magistro, aut duas medias pro studiosis artium, anno 1494.

Joannes Gaillier, canonicus Nivellensis, bursam unam.

Petrus de Quercu, presbyter et ludimagister in Werda Petri prope Angiam, bursas duas, anno 1540.

Nicolaus Panetier, de Binchio, regens, parvam bursam pro docente studioso theologiae, anno 1505.

Ægidius Houwelixs, sacerdos, bursam Ischanam, anno 1556.

Arnoldus Van Halvermyle, secretarius Lovaniensis, bursas tres, obiit anno 1552.

Theodoricus Hesius, canonicus Leodiensis, duas.

Tossinus Locquetz, pastor Castri Braniensis, libram unam legavit pro primo paupere Falconensi in promotione.

Franciscus de Sarre, canonicus Cameracensis, pro duabus bursis 62 florenos annue, anno 1562.

Joannes Blockerye, praetor in Ruysbroeck, bursas duas.

Jacobus Varentius, doctor medicus, unam.

Gabriël Vlierden, canonicus Gandensis, fundavit, praeter tres magnas bursas in collegio Theologorum, duas 18 florenorum in Falcone aut in collegio Theologico a sacrarum literarum studiosis possidendas.

Gualterus de Corswarem.

Petrus Stockelmans, Oerlensis, sub-pastor Sancti Michaëlis, unam, anno 1578.

Paedagogium Castri.

Habet Godefridi Van Gompele, Deschelensis, primi regentis, tres bursas.

Reineri Rotarii, a Leodio, regentis et secundarii fundatoris, bursam unam, anno 1476.

Henrici de Ghestel, decani Mechliniensis, florenos 40, pro duabus elemosynis sive bursis scholasticis, anno 1476.

Godefridi Godevaerts, ab Hakendevele, licentiati in decretis, ex septem tenuissimis foundationibus nunc bursam unam, anno 1474.

Petri de Rivo, pastoris S. Petri, bursas tres pro studiosis et duas pro legentibus studiosis in theologia.

Joannis de Varenacker, pastoris Sancti Petri, et Wilhelmi, thesaurarii, fratris ejus, portiones quatuor.

Joannis Moeselaer, regentis, bursas sex.

Gualteri de Beka, juris utriusque doctoris, bursas duas, anno 1517.

Fratris Andreae Eligii, de Middelburgo, Minoris, unam, anno 1503.

Antonii a Poortvliet, regentis, duas pro bene studentibus et parvam pro docente studioso theologiae, anno 1514.

Wilhelmi de Vianen, regentis, postea pastoris S. Petri, duas pro studiosis, parvas quatuor pro docentibus studiosis in theologia, anno 1529.

Joannis Hille, de Giers-Dyck, pastoris in Emelissa, unam.

Joannis de Palude, decretorum doctoris, unam.

Gumhari Librechts et Barbarae Baecx, conjugum, bursam Liranam. Hic Gummarus nauta fuit, sed viduus in decrepita aetate optavit sacerdos mori. Quod ei unico sacro peracto obtigit.

Daniëlis Cluts, canonici Leodiensis, unam florenorum 50, anno 1557.

Gerardi Spycermans, Horstii, capellani Bruxellensis, duas.

Joannis Stouten, unam.

Barbarae Tasse, novitiae in Camera nostrae Dominae, pro Antverpiensibus duas 92 florenis dotatas. Haec, non diu professa, electa fuit ob praeclearas dotes in dominam abbatissam, quod fere solis ex prima nobilitate virginibus obtingere solet.

Martini Cools, Alostensis, cantoris, canonici et plebani Bruxellensis, duas.

Gerardi Sonni, capellani S. Servatii Trajecti ad Mosam, unam.

Corneliae Stichel, virginis Amstelredamensis, quatuor.

Paedagogium Porci.

Paedagogium hoc primo fuit in Praepositi platea, e regione Porci Silvestris, a quo vulgo nomen accepit. Postea translatum est ad hospitium Henrici a Bergis episcopi Cameracensis. Hodie a nonnullis vocatur paedagogium Standonck. Est enim domui Standonicae divenditum.

Theodoricus Thomae, de Amstelredamis, regens anno 1499, mansionem totalem trium domorum in Praepositi strata, dictum Paedagogium magistri Joannis Widoe transtulit ad opus pauperum studentium in artibus vel theologia, juxta ordinationem praehonorandi domini magistri nostri Joannis Standonck.

Sed nunc a Standonicis absque aliquo emolumento possidetur.

Godefridus de Boeslinter, natus in Breyschem prope Thenas, decanus concilii Geldoniensis, domum suam in platea Cattorum dedit Facultati anno 1449, ad opus octo scholarium et magistri. Quae fundatio auctoritate apostolica est reducta ad bursas duas in paedagogio Porci.

Joannes Widoe, ab Herck Sancti Lamberti, regens, obiit anno 1475, sepultus in choro capellae Clericorum. Hic domum suam dictam in paedagogio Porci, sitam e regione Porci Silvestris et plateae dictae *die Craec-*

